Montone

IV

737

Statuta vetera Terrae Montoni

ex antiquis Codicibus manu exaratis de mandato E. S. R. D. T. Mertel Ecclesiastici Status pro inter: neg: Min: cura Sanctis Fortebracci Prioris Municip: fideliter transcripta Anno Domini

MDCCCLVI.

R. ARCHIVIO di STATO di ROMA
BIBLIOTECA

Alcune brevi notizie di Montone

L'Antica Terra, o Castello di Montone dicesi edificato frà l'Ottavo, e Nono Secolo di Gesù Cristo, quando l'Imperatore Carlo Magno incoraggiava le Genti a riaversi dai barbarici disastri. Fondatori ne furono i Popoli Arienati dell'Umbria divisi allora in sei Castelli, il principale dei quali tuttora in parte esistente, nomasi d'Arie, onde Arienati s'intitolavano gli Abitanti anche degli altri chiamati Cardineto, Montefalcone, Poggio, S. Pietro, e Capanneto, il quale dopo incluso dentro Montone dicevasi Castel Vecchio. E' situato in un Colle delle falde Appennine trà Perugia, Gubbio, e Città di Castello, due miglia circa distante dalla riva sinistra del Tevere.

Delle Famiglie ch'ebbero parte alla fondazione del nuovo Castello, si conosce soltanto quella che poi si disse de' Fortebracci, dalla quale discese il famoso Braccio, e si crede fosse la più distinta del Castello d'Arie, perchè mantenne anche in Montone il primo luogo alzando nello Stemma la figura di un mezzo Ariete in campo d'oro.

Quei Popoli denominarono la nuova Patria Montone, o per dinotare, che derivò da un cumulo di più Castelli riuniti, o perchè Aries latino, il principale di que' loro Castelli, significa Montone in volgare, come di fatto nello stemma gentilizio vedesi mantenuta sempre la figura di un Ariete, ossia Montone Animale.

Il Fabbricato nella sua circonferenza di quasi un miglio, tutto cinto di solide mura un tempo merlate e torrite, nei punti importanti, comprende due Collinette, la maggior delle quali a Mezzogiorno denominata il Monte era munita di Fortilizio, ed a poca

distanza dai ruderi di questo, vedesi ora la bella Chiesa Collegiata eretta nel 1580. e due Monasteri, uno di Francescane, l'altro di Benedettine traslocate nel 1828. nell'Antico Palazzo della Signoria presso il Forte accennato, e quivi nel cadente anno sonosi gettate le fondamenta per la Chiesa. Nella minore Collina verso Tramontana, ov'era il Castelvecchio, esiste la Chiesa, e Convento dei PP. Min. Conventuali, e nella valletta intermedia, fra le private abitazioni evvi la Comunal Residenza, la Chiesa di S. Croce, e la pubblica piazza, dalla quale come da centro si dipartono le Vie principali, e tre di queste direttamente conducono alle tre Porte del Paese nominate del Borgo, del Monte, e del Verziere. Evvi ancora un Ospedale per gl'Infermi poveri con sua Chiesa, ed uno Stabilimento per due Maestre pie.

Nei tempi di sua floridezza Montone conteneva parecchie miglieja di Abitanti con molte famiglie facoltose, da cui derivarono ingegni elevati, e distinti anche in armi, ed in Lettere; ma dopo incominciata la decadenza quasi tutte le migliori Casate si estinsero, e spatriarono; il Territorio divenne la maggior parte proprietà di Forastieri; molte abitazioni abbandonate cadendo in rovina rimasero finalmente distrutte, e quelle esistenti, detratti gli Ecclesiastici, i Luoghi Pii, pochissimi Possidenti, ed Artieri sono tutte occupate da inquilini poveri, e mendichi.

Per tre Secoli circa dalla sua fondazione Montone aderiva all'Impero, e Federico Barbarossa nel 1162. lo comprese nel Ducato concesso ai Marchesi del Colle, ora Bourbon del Monte; ma poi nel 1216. per le pratiche di Federico Fortebracci si diede spontaneamente alla Città di Perugia, che seguiva il Partito Pontificale, cui, ad onta della opposta sanguinaria Fazione, rimase costantemente fedele, anche quando il famoso Braccio, dopo grandi servigii resi alla S. Sede, ne addivenne Signore concedendogli nel

1413. la investitura perse, e suoi, Giovanni Papa XXIII. – Successivamente, ritornato Montone sotto l'immediato potere Papale, veniva retto dal Pontificio Legato residente in Perugia; e dipoi nel 1528. Leone X. ne concedeva il regime ai Marchesi Vitelli col titolo di Vicarii. – Dopo di questi venne sempre direttamente governato da un Prelato Chierico di Camera fino alla straniera invasione del 1809. – Finalmente nel generale riordinamento del 1816. fu istituito Capoluogo di Governo; ma una tal sorte durò poco tempo; e da molti anni soggiace al Governo della Fratta di Perugia.

Ebbe Montone le proprie Leggi, e Statuti Municipali, che rimasero sempre in vigore fino alla generale Statistica Legislazione: godeva innoltre moltissimi privilegi, esenzioni, e favori, conceduti, e confermati da più Sommi Pontefici.

IV X

Leo P. P. X.

Dilectis Filiis Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Promerit. Vestra erga Nos, et Sanctae Romanae Ecclesiae statum, fides, atque devotio, ut Vos favoribus, atque gratiis prosequamur opportunis, et ea quae pro commodis, et quiete vestra a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris concessa fuerunt, grata habere debeamus. Itaque Oratorum Vestrorum, quos nuper ad Nos misistis, vestrisque supplicationibus paterne annuere, res, omnia, et singula Capitula, et Statuta Vestra, nec non privilegia, Immunitates, Concessiones, Brevia, et indulta per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores Nostros, Apostolicaeve Sedis legatos, aut ab eis potestatem habentes Vobis concessa, quatenus justa, et rationabilia sint, et contra Ecclesiasticam libertatem non tendant, prout hactenus laudabiliter observata fuerint Tenore pntium Auctoritate Apostolica confirmamus, et approbamus, et quatenus opus sit ea denuo Vobis concedimus. Et insuper ut in Vestra solita fide eo ferventius persistere possitis, quo a Nobis uberiori gratia fueritis prosequuti, ad Vestris comodis, atque paci condendo volentes, Vos, Oppidum Vestrum, ejusque Territorium, Universitatem Habitatores, et Incolas, ac res, et bona quaecumque ab omni Gubernio, Jurisdictione, et potestate quorumcumque Gubernatorum eximimus, et liberamus Vosque, Oppidum, Territorium, Universitatem, Personas, Incolas, et Habitatores, ac res, et bona praefata Gubernio Legati, sive Gubernatoris Perusini pro tempore existentis, prout fel. record. Jul. II. praed. Nr. esse voluit, subjicimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

IV

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris Die 22. Aprilis 1513. Pontific. Nost. Anno Primo. = Bal. Stuerdus _ Intus = Foris _ Dilectis Filiis Sex Antepositis et Universitati Terrae Nostrae Montoni.

Alexander Papa VI.

Dilectis Filiis salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Cum alias fel: rec: Innoc: Papa **VI**. Praedecessor Noster intellexisset poenas ex maleficiis istic perpetratis, et aliis extraordinariis provenian in alios usus quo vobis locum, aut alias Rom: Pt. concessum erat converti illas C. A. applicavit, ac in reparatione murorum ad ejus beneplacitum converti mandavit, et deinde considerans redditus, et proventus vestros ita tenues esse, quod si poene praed. Vobis ademptae essent magna vos onera, et impensas subire oporteret voluit, statuit, et ordinavit quod pecuniae ex maleficiis non tantum atrocibus istic perpetratis pervenientes vestre Com: essent et in reparatione murorum vestrorum convertant, Castellanumq: istius Arcis pro tempore existen una nobiscum diligenter adverteret ut in eum usum exponant, alias vero pecunias ex capitibus solidos damnis datis et extraordinariis pro tempore exigendas Vobis et Com: vestre concessit, et liberaliter donavit exponendas tam in dictorum muror. reparatione quam alias necessitates Vobis incumbentes cond. ad. quas, et vestra Consilia de poenis maleficior, exceptis atrocibus quorum integra pena C. A. esse deberet remutio usque ad dimidiam fieri posset, et per suffragia Consilii obtinere. Item voluit, et ordinavit quod d. Potestas Vester qui pro tempore negligens esset in exact. penar. malefet. pena in Statutis Vestris contenta, nec ipse nec Castellanus istic esse

possent nisi 20. miliaribus ab ista Terra distant. Neque il-
los recipere non teneremini per diversos Brevilos ipsius Pre-
decessuales desuper edictis plenius dicens contineri. Cum autem
desideratus concessiones Vobis factas hunc etiam con-
firmavi. Nos volentes Com: istam quam inter coeteras pe-
culiari quadam dilectione complectitur favore prosequi
patiari concessiones istas, et per illas concernens omnia, et
singula in dicto posteriori Brevi contenta Aplica auctoritate
pontium tenore approbamus, et confirmamus ac presenti scri-
pto patrocinio communimus. Propterea Vobis concedimus ut
nemo qui in ista Terra, aut ejus districtu non haberet ali-
quas possessiones, et Immobilia bona in Vestro Territorio e-
mere aut molendinum aliudve novum Edificium sine li-
centia Vestri Consilii edificari possit contrariis non obstan-
tibus quibuscumque.

Datum Rome apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris
sub die 2. Novembris 1496. Pontif. Nostri Anno Quinto.

L. Podocathari

IV

Liber I. Statutorum Montoni

De Electione Dominorum Sex
Rub: II.

Dicimus nos statuentes statuarii predicti quod Potestas, seu Rector dicte Terre Montoni teneatur, et debeat de Mence Aprilis congregare, facere generale, et speciale Consilium comunis, et hominum Terre predicte in palatio dicte Comunis pena centum solidos den. et vinculo Juramenti, et ipso in Consilio speciali eligi triginta bonos homines de dicta Terra, et ejus districtu legales, scientes, fide dignos, et Amatores justitie, et dicte comunis, videlicet duodecim pro qualibet Porta, de quibus ee debeant sex Officiales, quorum Officium vocetur Officium Dnorum sex, quorum nomina scribantur in cedulis hoc modo: videlicet in una cedula scribantur duo nomina Dominorum sex, qui sunt de una Porta, et alii duo de alia Porte scribantur in alia cedula, ita quod in qualibet cedola sint scripta duo nomina dictorum Officiahium, et dicte cedole mittantur in Sacchetto, qui Sacchettus mittat, et stet specialiter in cassetta dicte Comunis, que cassetta semper servetur, et stet in Sagristia Ecle S. Francisci et apud Guardianum dicte Ecclesie, et sub ejus custodia, qui triginta sex boni homines eligantur in dicto Consilio pro uno Anno toto: hoc modo: videlicet quod consiliarii speciales porte Verzerii et porte Montis eligant, et eligere debeant duodecim bonos homines Porte Burgi, et consiliarii speciales Porte Verzerii, et porte Burgi eligant duodecim bonos homines Porte Montis, et consiliarii speciales Porte Montis, et Porte Burgi eligant duodecim bonos homines Porte Verzerii, et sic fieri debeat electio predict. singulis Annis, et

si aliter eligant electio non valeat, nec teneat ullo modo. Que nomina predictorum triginta sex virorum mittantur in tribus sacchettis, videlicet duodecim mittantur in uno sacchetto pro porta Montis, duodecim in alio pro porta Verzerii, et duodecim in alio pro porta Burgi. Et singulis duobus mensibus in consilio generali et speciali comunis dicte terre Potestas, seu Rector predictus vinculo juramenti teneatur extrahere, vel extrahere facere de dictis sacchettis dictos Officiales, videlicet duos pro qualibet porta, et duret eorum officium duobus mensibus, et semper extrahantur officiales de dictis sacchettis quatuor diebus ante principium eorum officii, et vocentur Domini Sex, ut dictum est supra.

De Officio, et Arbitrio Dominorum Sex. Rub.a 3.

Item statuimus, et ordinamus quod dicti Domini sex habeant, et habere debeant tale officium videlicet quod sint, et esse debeant super actatione, monitione, fortificatione, et reparatione dicte Terre Montoni intus et extra et custodia ipsius terre, et super actatione fontium, viarum, puteorum, murorum, Citernarum, et foveurum dicte Terre, et super omnibus que spectant ad utilitatem, honorem, salutem comunis dicte terre Montoni manutenere, et conservare, tenere dicti comunis, et bona, et possessiones ipsius illesa, et semper dare opem, auxilium, consilium, et favorem, et domus comunis dicte Terre que olim fuit Domini Raineri perpetuo sit dicti comunis, et ad aliorum manus nullatenus possit pervenire, nec de cetero permittere, ut alteri alienetur nec permudetur sed semper operari ut dicta Domus predicto comuni illesa remaneat, et nec proponere, et nec proponere tacite vel expresse in arenga, seu consilio dicti comunis aliquid contra hoc capitulum. Qui Domini sex in principio eorum officii teneantur, et debeant curare predicta omnia et sin-

gula observare facere, et ipsa jurando promittere Sindico seu cancellario dicti comunis pro ipso comuni recipienti. Quod juramentum et que promissio scribatur, et scribi debeat per ipsum cancellarium seu notarium reformationum dicti comunis, et si seu fecerint vel consenserint predict. alienat. vel permutationes d. domus unusquisque promittat solvere de suo dicto comuni libras ducentas den. sub obbligatione omnium eorum bonor., et hoc Capitulum totum dictus cancellarius in consilio dicti comunis legere teneatur semper quando dicti Domini Sex extrahuntur de Sacchettis, et predictam promissionem ab eis recipere teneatur antequam eorum officium incipiat.

Item quod dicti Domini Sex teneantur, et debeant semper, et continuo seu annuatim in festo S. Marie de Mense Augusti expendere de introitibus hospitalis Colcelli pro officio et obsequio Anime Dni Raineri, qui dictum hospitale, et palatium ejus positum in dicta terra, videlicet in castro veteri in manibus et dominio, atque sub protectione dicti Comunis libras quinque denar. sub pena librarum decem den. pro quolibet dictorum Dnorum Sex in qua pena Potestas teneatur ipsos punire, et condemnare post quadraginta dies a dicto Festo computandos sub pena librarum centum denar. in suo Sindacatu solvenda.

Quod preposite fiant per Cancellarium; et quod Domini Sex, Sindici, et Camerarii non possint Arengare.

De Officio, et Arbitrio Dominorum Sex.

Rub: 4.

Item statuimus, et ordinamus quod Domini Sex omnes, et singulas eorum prepositas in consilio generali proponendas proponi faciant in dicto Consilio per Cancellarium dicti Comunis, vel potestatem, et non per alium, et quod ipsi Domini

sex Sindicus generalis, vel cancellarius dicti comunis, vel aliquis eorum non possint aliquid consulere vel arengare super dictis prepositis durante eorum officio, et si quis eorum contrafecerit in predictis vel aliquo predictorum puniatur in solidis viginti denariorum, et nihilominus dictum consilium, et arrenzatum admittatur. Immo sit ipso jure nullum, et nulla.

Qualiter preposite deliberentur

Rub. 5.

Item Statuimus et ordinamus quod nulla propositio fieri possit nec mitti in Consilio dicte Terre possit nisi deliberatur per Dominos sex antequam incipiatur pulsari campana comunis ad ipsum consilium, et sine voluntate dictorum dominorum sex, vel duarum partium in concordia, et sine presentia et voluntate Domini Potestatis vel notarii, et quod Dñi sex predicti non possint nec debeant aliquid proponere, vel proponi facere in consilio generali vel speciali de aliquibus expensis comunis faciendis pro dicto comuni a tribus libris suprad. nisi prius deliberentur per duodecim bonos homines majoris libre, et si proponerentur per dictos Dños Sex sine voluntate duodecim majoris libre, talis propositio non valeat nec teneat ullo modo: Sed puniantur dicti Dñi Sex, et quilibet eorum qui consentiend. dicte preposit. per potestatem vel rectorem in solidis centum denariorum Comuni Montoni applicandorum.

Qualiter partita mittantur.

Rub. 6.

Item Statuimus, et ordinamus quod potestas vel rector dicte Terre vinculo juramenti faciat per cancellarium, vel notarium reformationum dicti Comunis mitti omnia partita facienda vel mittenda super quibuscumque expensis faciendis per ipsum comune quando non sunt determinata per comune, vel per Statuta ipsius comunis, et super omni alio negotio ad bussolas

et pallottas tam in consilio generali quam in alia adunantia dicti Comunis quacumque de causa facta, vel facienda; itaque quicumque voluerit quod aliquae expense fiant per dictum Comune, mittat ejus pallottam in bussola alba del sic. Et qui noluerit mittat ejus pallottam in bussola rubea del non. Et omnia partita vinci debeant per duas partes Consiliariorum in dicto Consilio existentium, et omnia alia partita vinci debeant per majorem partem consiliariorum in dicto consilio existentium. Alio modo partita mitti non debeant, et si mittantur non valeant. Nec id quod reformaretur dicta forma non servata, et quod super quolibet partito mittendo debeat formaliter, et divisim per se vinci, vel per dict. aliter non valeat, et plura partita simul mitti non possint nisi unum tantum.

De electione Consiliariorum
Rub. 7.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas, et Rector dicte Terre, et Domini Sex qui pro tempore fuerint per totum mensem Aprilis teneantur, et debeant tempore eorum regiminis, et officii facere congregare Consilium in Palatio dicti Comunis et in ipso Consilio eligi quadraginta octo Consiliarios; videlicet sexdecim pro qualibet Porta: quorum esse debeant vigintiquattuor generales, et viginti quattuor speciales de dicta Terra Montoni, et ejus districtu. Qui Consiliarii eligantur hoc modo: videlicet quod Consiliarii veteres speciales eligant novos, et consiliarii speciales novi eligant generales, et Consiliarii Porte Montis eligant Consiliarios porte Montis, et Consiliarii porte Verzerii veteres eligant Consiliarios dicte porte Verzerii, et sic faciant illi porte Burgi, et duret eorum officium dictorum consiliariorum uno anno. Qui novi Consiliarii teneantur et debeant in principio eorum officii, eorum officium jurare bene, et legaliter exercere, et consulere, et consent. solum factis utilibus dicti Comunis, et

aliter non bona fide, sine fraude, remotis odio, amore.

De Cera habenda in Festo Beati Jo: Baptiste Rub. 8.

Item statuimus, et ordinamus quod omnes Consiliarii speciales, et generales dicti comunis habeant, et habere debeant de et bonis dicti Comunis in Festo Beati Joannis Bapitte de Mense Junii pro quolibet eorum unum candelottum de cera unius libre, et quilibet Dnorum sex unum candelottum unius libre cum dimidia, et Dnus Potestas unum candelottum duarum librarum cere, Vicarius autem, et Cancellarius, et Camerarius et quilibet eorum habere debeat unum candelottum unius libre, et si Camerarius fuerit unus de Consiliariis, habeat tantum unum pro Consiliario et Camerario, et non plures: et Potestas teneatur facere inquisitionem, seu resignam omnium Consiliariorum sub vinculo juramenti, quorum si aliqui vel aliquis deerat seu deerit, vel ad minus unus de sua domo, et familia pro eo, solvat in comuni punctatura, et pena solidos decem, et talis Consiliarius deficiens, vel unus de domo sua, ut dictum est, petere non possit candelottum nec eidem dari debeat. Quos candelottos supradictos Potestas, Dni sex, Consiliarii, Vicarius, et Cancellarius, et camerarius, et quilibet eorum portare debeant accensos in Vigilia dicto Festivitatis ad plebem S. Gregorii, et in Festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi si eis videbitur, et predicta dictus Potestas teneatur executioni mandare vinculo juramenti.

De his qui esse non possunt de Consilio, nec habere Consilium. Rub. 9.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus forensis qui non habitaverit in dicta terra Montoni per annos quatraginta vel ejus curia, vel aliquis alius de dicta Terra, qui non fuerit allibratus, et accatastratus, in catastris comunis dicte Terre, et

nullus qui sit minor viginti annis, nec etiam ulla persona Ecclesiastica possit nec debeat aliquod officium habere in dicta terra pena solidorum centum denariorum, et similem penam solvere teneatur ille qui talem elegerit. Quam penam potestas praedictus teneatur solvi facere in comuni sine aliqua condennatione in scriptis facienda vinculo sui juramenti.

De his qui ad Officium Consiliarorum eligi non possint. Rub.ᵃ 10.

Item Statuimus, et ordinamus quod pater non possit eligere filium de Consilio, nec filius patrem, nec frater fratrem carnalem, vel consobrinum in una domo simul habitantem sub pena 40. solidorum den., quam penam Potestas exigat pro Comuni tam ab electo, quam ab Eligente, et nihilominus talis electio non valeat, nec teneat.

De Electione Cancellarii, seu Notarii Reformationum. Rub. 11.

Item Statuimus, et ordinamus quod Potestas teneatur eligi facere in generali consilio dicte Terre una ex Notariis dicte terre Montoni qui vocetur Cancellarius dicti comunis et duret ejus officium per unum annum, et deinde in posterum ad beneplacitum Consilii generalis, qui eligi debeat per portam ad brevia, et teneatur, et debeat dictus cancellarius omnes, et singulas prepositas, et reformationes, et omnes, et singulas alias Scripturas ad dictum officium pertinentes necessarias, et occurrentes durante suo officio in libro reformationum dicti Comunis, et quaslibet alias scripturas publicas, vel privatas in dicto Comuni opportunas, et scribere omnes, et singulas rationes, introitum, et exitum dicti Comunis in registro dicti Comunis sub pena perditionis sui salarii. Et dictum Librum reformationum tenatur dictus Cancellarius, et debeat, finito suo officio, in generali

Consilio assignare, et reddere pubblicatum Camerario Comunis dicte Terre. Etiam teneatur scribere, et pubblicare, omnia, et singula necessaria, et opportuna dicto Comuni, et que in ipso Comuni fierent durante tempore dicti sui Officii, et teneatur dictus Cancellarius esse; et sit Notarius Camerarii dicti Comunis etiam scribere omnes introitus, et exitus dicti Comunis. Etiam teneatur scribere libros datiorum imponendorum in dicto Comuni, durante ejus Officio, et habeat pro qualibet libro datiorum solidos quadraginta denar., et habeat pro ejus salario pro uno anno libras duodecim denariorum, et solidos viginti denariorum in dicto anno pro cartis, ceris, et atramento; pro libris vero datiorum, reformationum, et registri habeat, et habere debeat cartam opportunam a dicto comuni.

De Electione Camerarii

Rub.ª 12.

Item Statuimus, et ordinamus quod potestas, et rector dicte Terre teneatur, et debeat dicto tempore electionis dictorum Consiliariorum; videlicet de Mense Aprilis eligi facere tres bonos homines in Consilio speciali, qui esse debeant Camerarii dicti Comunis dicte terre Montoni, et eorum nomina mittantur in Sacchetto scripta in cedulis, qui sacchettus ponatur in cassetta Comunis que est in Sacristia, et apud Guardianum Ecclesie S. Francisci de dicta Terra, et eligantur dicti Camerarii quemadmodum eliguntur Dñi Sex supradicti, et durare debeat eorum officium per unum annum, et non plus, et habere debeat quilibet camerarius a dicto comuni pro suo salario pro toto dicto tempore libras quinque denariorum, et non plus.

De Officio dicti Camerarii

Rub. 13.

Item Statuimus, et ordinamus quod omnes condemnationes

et deposita solvi debeant pro dicto Comuni Camerario dicti Comunis, et non alteri, et quilibet Camerarius teneatur facere duos libros, scilicet unum de introitibus, et alterum de exitibus in quibus Cancellarius dicti Comunis scribere debeat dictos introitus, et exitus, et non alios, et teneatur dictus Camerarius de sex mensibus in sex mensibus, et plus ad requisitionem Dominorum sex eis, et rationatoribus dicti Comunis de dictis introitis, et exitibus reddere rationem. Et finito tempore dicti sui Officii, teneatur dictus Camerarius ambos dictos libros introitum, et exitum dicti Comunis authenticos, et publicatos resignare in Consilio generali sub pena solidorum centum denariorum.

Quod Camerarii non possint expendere sine licentia Dominorum sex. Rub.a 14.

Item statuimus, et ordinamus quod Camerarius dicti Comunis non possit aliquod expendere vel solvere de bonis, et introitibus dicti Comunis, nisi tantum usque in quantitatem solidorum viginti pro qualibet vice sine expressa licentia Dominorum sex, omnium in concordia existentium vel consilio generali; quos viginti solidos, etiam solvere non potest sine licentia et mandato dictorum Dominorum sex, vel saltem D.ni Potestatis, exceptis quantitatibus debitis pro tribus minoribus, et pro Cereo Plebis, et aliarum Ecclesiarum Terre, et pro salariis Officialium dicti Comunis in statutis expressis

De Electione Syndici Generalis, et ejus Officio. Rub.a 15.

Item statuimus, et ordinamus quod in Consilio generali dicti Comunis, eligatur unus, qui sit Syndicus generalis dicti Comunis ad omnia, et singula faciendum, gerendum, et exercendum que utilia, et necessaria noverit dicto Comuni, et ad promittendum, solvendum, et recipiendum, et quietandum et ad videndum, et curandum omnia jura dicti Comunis, et

ad faciendum, et operandum quod nemini de dicta Terra, vel aliunde fiat aliqua injuria, seu injustitia per Potestatem dicte Terre, vel ejus Vicarium, et ad revidendum non alibratos in libris, et Catastris dicti Comunis, et libros personarum deficientes, de quibus non solveretur Datium in dicto Comuni, et ad ipsos scribi faciendum in dictis libris, et Catastris, ut noverit expedire, et ad faciendum solvi dicto Comuni Datium non solutum. Et similiter omnes habentes possessiones in dicta Terra, et ejus Territorio, videlicet, Domum, Vineam, Terram, vel Hortum, vel aliquod aliud in bonis qui non fuerint alibrate, vel accatastrate in dictis libris, et Catastris dicti Comunis, et eis, et cuilibet eorum ll.m et extimationem facere secundum bonorum, et possessionum quas habent, et ad faciendum eis librum pro persona, si non haberet aliquid in bonis pro adjuvando dicto Comuni pro expensis factis, et fiendis per dictum Comune. Et in predictis scripti, et alibrati, vel aliquis eorum predicta facere recusaverit non audiatur in civilibus, nec in criminalibus per Potestatem, et Rectorem dicte Terre. Qui Sindicus eligatur, et eligi debeat quolibet anno de mense Aprilis, et duret ejus officium per unum annum, et teneatur, et debeat de gestis, et administratis per eum de sex mensibus, in sex mensibus et plus ad voluntatem, et mandata Dominorum Sex. Et habeat et habere debeat solidos quadraginta denariorum pro ejus salario pro dicto anno. Qui quidem Syndicus in principio sui Officii teneatur, et debeat facere inventarium omnium rerum, librorum, pannorum, Calicum, et argenti, atque omnium massaritiarum Ecclesie S. Francisci de dicta Terra, et omnium massaritiarum, et jurium hospitalium dicte Terre, et omnium massaritiarum, et jurium dicti Comunis, et videre Inventarium sui precessoris, et quicquid deficeret in eo reperire, et habeat, et habeant plenum et generale mandatum in omnibus que tenderent ad honorem, utilitatem, et bonum Statum dicti Comunis, et sit publicus, et generalis

administrator, ac negociorum gestor dicti Comunis, et si in predictis vel aliquo predictorum fuerit negligens solvat de facto in comuni solidos centum denariorum pro tali negligentia. Dicimus etiam quod dicta inventaria scribi debeant per cancellarium dicti Comunis sine aliquo salario, vel mercede sub dicta pena.

De Electione trium Sindicorum generalium, et eorum Officio. Rub.ª 16.

Item statuimus, et ordinamus quod potestas, et Rector dicte Terre teneatur in principio sui officii vinculo iuramenti eligi facere in consilio generali, vel speciali dicte Terre tres Sindicos bonos homines, videlicet unum pro qualibet porta. Quorum officium duret sex mensibus, et ad plus nisi per Consilium generale in dicto Officio refirmarentur pro alio semestre, qui Sindici, et quilibet eorum debeant esse intus de dicta terra, et non de comitatu, et districtu, et eligantur predicti Sindici secundum modum, et electionem Dominorum sex, et mittantur in sacchetto. Qui Sindici habeant tale officium, videlicet quod observari faciant omnia, et singula statuta, ordinationes, et reformationes Comunis dicte Terre Montoni, sicut Sindicus generalis dicti Comunis, quibus dictus Potestas teneatur, seu legi facere predicta Statuta, et ordinationes ad omnem eorum acquisitionem, et voluntatem, et ipsa observare, et observari facere secundum ipsorum tenorem, et si predictum Potestatem, et ejus Vicarium fuerit contrafactum, et non emendaverint, possint dicti Sindici inferre penam dicto Potestati decem librarum denariorum pro dicto Comuni. In quam penam dicti Sindici similiter incurrant si in predictis fuerint negligentes, teneantur etiam dicti Sindici semper interesse impositioni dationum, et collectarum dicti Comunis, et assignatione debitorum dicti Comunis, et videre, et curare ita, et taliter quod nemo recipiat injustitiam a dicto potestate vel Vicario, sed unusquisque percipiat quod est suum.

De his qui non possunt esse Sindici, nec Domini Sex. Rub.ca 17.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus possit esse Sindicus generalis, nec Sindicus super Statutis, nec unus de numero, et officio Dominorum Sex dicti Comunis Terre Montoni, qui non habeat libram ad minus viginti quinque librarum denariorum in dicta terra, et si eligeretur, ejus electio non valeat nec teneat ullo modo, et nihilominus acceptans dictum officium, et eligens et quilibet eorum puniatur in solidis centum dicto Comuni.

De Consilio, Sindico generali, et duodecim de Majori libro congregandis ad instantiam Dominorum Sex. Rub: 18.

Item statuimus, et ordinamus quod potestas, et rector predictus ad instantiam, et petitionem Dominorum Sex, et similiter Sindici generales dicti Comunis teneantur, et debeant facere congregari Consilium speciale, et generale dicti Comunis. Item duodecim de majori libro. Item officiales super registro sub vinculo juramenti.

De Fontibus, et Viis actandis Rub: 19.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas, et Rector predictus vinculo juramenti teneantur, et debeant facere actari quam melius poterit omnes fontes, puteos, Cisternas, et Vias, et Stratas expensis eorum quibus crediderit convenire.

De Electione Officialium super abundantia ~~et~~ et Victualibus. Rub. 20.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas, et Rector predictus sub vinculo juramenti teneatur, et debeat in principio sui Officii eligi facere ad brevia in consilio dicti Comunis Officiales super Victalibus scilicet unum pro qualibet porta; Qui officiales possint et debeant modum, et ordinem imponere fornariis, pizzicarolis,

et vendentibus panem, vinum, oleum, Salem, carnem, et omnia alia Victualia. Quorum officium duret sex mensibus; et de sex mensibus, in sex menses eligantur modo predicto. Qui Officiales infra quartam diem post dictam eorum electionem teneantur, et debeant ordinare, et reformare de modo, et ordine imponendo, et observando supra predictis victualibus semel, et plures, prout eis videbitur convenire, et contrafacientibus possint imponere penam, et quod predictos officiales ordinabitur valeat, et teneat, et executioni mandetur per dictum Potestatem Vinculo juramenti; salvo quod ad dictum officium non possit eligi aliquis Fornarius, Tabernarius, Pizzicarolus, vel qui carnes ad minutum vendiderit, et si eligantur non valeat electio.

De Electione Vialium, et eorum Officio

Rub.ª 21.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas, et Rector predictus teneatur, et debeat de Mense Maii annuatim eligi facere in Consilio generali pro toto anno duos bonos homines pro qualibet porta, ita quod quilibet duo vadant per suam portam, qui Officiales, scilicet quilibet pro sua porta, habeant potestatem arbitrium, et balium aptandi facere omnes, et singulas vias et stratas pubblicas, et vicinales Terre Montoni, et ejus districtu, que essent aptande, et reparande. Qui Officiales teneantur etiam, et debeant recuperare, et reinvenire terras occupatas in viis publicis, et vicinalibus, et aliis locis, dummodo de ipsa occupatione probatum fuerit per duos testes legittimi. Et etiam teneatur definire et terminare ipsas vias, et stetur terminationi eorum, et dicta terminatio facta per dictos Officiales non possit removeri, nec tolli ullo modo, et de predictis, et quolibet predictorum dicti Officiales, et Potestas possint inquirere pubblice, et private, et habeant et habere debeant ipsi et quilibet eorum pro eorum Salario a dicto Comuni solidos decem denariorum.

De Electione Registrariorum, et eorum Officio.

Rub.ª 22.

Item statuimus, et ordinamus quod dictus Potestas seu Rector in principio sui Officii vinculo juramenti teneatur, et debeat eligi facere, tres bonos homines, idoneos, et sufficientes qui habeant et habere debeant eorum libram adminus centum librarum: videlicet una pro qualibet porta; quarum electio fiat, prout fit electio Dominorum Sex, quorum officium duret uno anno, qui sint, et esse debeant super regestro dicti Comunis. Qui Officiales habeant tale Officium, videlicet: quod semper scribi faciant per Notarium, qui fuerit positus, per eas omnes expensas, que fient in Comuni per ordinem, et causas declarare, et specificare, et recipere rationem a Datialibus Comunis semper quando Datium aliquod una cum Dominis sex imponetur, et ipsos Datiales examinare, et rationes summare quas collegerint recipere, libras portarum, videre, et corrigere, et summare prout fuerit utile pro Comuni, et eis videbitur convenire, et etiam rationem officii introitas, et expensas recipere a Syndicis Generalibus, et specialibus, a Camerariis Comunis predicti, quolibet mense, et de omnibus, et singulis proventibus ad manus eorum, quocumque modo factis, et generaliter recipere teneantur, et debeant rationem administrationis, Officii, introitus, et exitus, et expensarum quolibet Officiale Comunis predicti, qui receperint, habuerint, vel expenderint aliquid pro Comuni aliqua ratione, vel causa, et ipse rationes declarare, providere, facere, vel summare, et recipere a dictis Officialibus quando necesse fuerit: ita, et taliter quod dictum Comune aliqualiter non ledatur.

De Petitionibus dandis coram Officialibus super Registris.

Rub.ca 23.

Item statuimus, et ordinamus ad hoc ut fraus non possit committi aliqualiter in Comuni, quod Sindicus generalis, et quilibet alius de Terra, sive Curia Montone, qui inerit, vel steterit in servitium dicti Comunis, et pro factis dicti Comunis vel fecerit aliquas expensas pro dicto Comuni teneatur, et debeat infra quartum diem proximam venturam a die facti servitii, vel factarum expensarum compensanda assignari, et petitionem dare coram officialibus super registro. Et hoc idem facere teneatur dictus Sindicus, et quilibet alius qui acquisiverit aliquam quantitatem pecunie pro dicto Comuni, et declarare qua provisione, servitio, et à quibus acquisiverit, et quo die, et mense, et hoc etiam faciat quando Instrumentum promissionis, vel refutationis apparet, que sibi restitui faciat cancellata, alias assignare non possit, et dicti Registrarii non possint nec debeant recipere, nec admittere aliquam petitionem alicujus servitii, nec expensarum, vel denariorum ab aliqua persona nisi infra dictum terminum, et si susceperint, vel admiserint, talis assignatio, vel petitio non valeat ullo modo: Et teneatur, et debeant dicti Registrarii solvere de eorum propria pecunia, et satisfacere talibus dantibus dictas petitiones, sive assignationes post dictum terminum si eas admiserint salvo quod si dicti dantes dictas petitiones habuerint legitimas excusationes de quibus probare debeant per duos Testes idoneos. Qui registrarii teneantur, et debeant dictas assignationes, et petitiones que porrigerentur coram eis scribi facere in Libro dicti Comunis per eorum Notarium, et scribi facere in d.o libro diem porrectionis, petitionis, seu assignationis, et diem facti servitii, et expensarum, et denariorum acquisitorum ita quod bene, et evidenter appareat predicta petitio, sive assignatio facta fuerit in termino predicto, et hoc capitulum legatur

dictis Registrariis per Vicarium, sive Cancellarium dicti Comunis quando jurant eorum Officium, et ipsum jurent precise et inviolabiliter observare, et teneantur dare fidejussores: videlicet unum pro quolibet eorum de observando predicta. Et quod Potestas, et Rector predictus una cum Dominis Sex dicte Terre finito tempore dictorum Registrariorum infra decem dies tunc proxime venturos teneantur examinare, et sindacare, et recipere rationem omnium, et singulorum que fecerint in eorum officio, et si ipsos invenerint deliquisse condemnans in pena supradicta, et etiam in solidos centum denas Comuni dicte Terre; et si Potestas, et Rector dicte Terre erit negligens in predictis, solvat de ejus salario dicto Comuni libras decem denariorum, et Domini sex si in predictis consenserint solvant dicto Comuni pro quolibet solidos centum denariorum, et hoc Statutum banniatur semper in principio officii Potestatis, et dictorum Registrariorum ad hoc, ut sit omnibus manifestum. Quod Bannimentum dictus Potestas fieri faciat sub pena solidorum quadraginta denariorum pro qualibet vice, qua fuerit contrafactum.

De Electione duodecim de majori libra, et eorum Officio. Rub. 24.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas predictus de Mense Aprilis eligi faciat in consilio speciali dicte Terre duodecim homines sufficentes, et idoneos de majori libra, qui sint et esse intelligantur habentes etiam libram a centum solidis, supra quorum electio fiat, prout fit electio dominorum sex: videlicet quatuor pro, seu de qualibet Porta, et duret ejus officium per unum annum. Qui duodecim de majori libra et Dni Sex nullam propositam facere possint, vel proponere a tribus libris supra, nisi omnes ipsi, vel due partes ipsorum ad minus essent in concordia, et si proponeretur non valeat, nec teneat ullo modo.

De Electione Bajulorum
Rub. 25.

Item statuimus, et ordinamus quod dictus Potestas Terre Montoni teneatur, et debeat eligi facere duos Bajulos, quorum unus sciat pulsare Tubettam, et durent in officio uno anno, et qui fuerint electi cogantur acceptare dictum officium, et teneantur dare fidejussores idoneos de faciendo, et exercendo bene, et legaliter eorum officium, et restituendo omnia et singula pignora, et tenutas, que ad ipsorum manus pervenerint ratione dicti eorum Officii. Quibus bajulis, et cuilibet eorum donetur per dictum Comune, et Dominos Sex, qui ad tale officium pro tempore fuerit unum biretum panni coloris rubei, et albi pretii ant. decem pro quolibet bireto de havere, et pecunia dicti Comunis in Festo S. Ioannis Baptiste de Mense Iunii.

Quod nullus possit renuere Officium sibi datum.
Rub. 26.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus Montonensis vel de ejus curia, qui fuerit electus vel vocatus ad aliquod officium per Comune dicte Terre possit, nec debeat dictum Officium renuntiare, et si renuntiaverit teneatur solvere dicto Comuni nomine banni solidos Centum denariorum. Immo quilibet electi ad aliquod officium teneantur, et debeant jurare dictum eorum officium bene, et legaliter facere, et exercere bona fide, et sine fraude, remotis odio amore etc.

De Cereo portando in Festo S. Ioannis Baptiste ad Ecclam Plebis. Rub. 27.

Item statuimus, et ordinamus ad honorem, et laudem Beati Ioannis Baptiste, et Sanctorum Gregorii, et Blasii Patronorum, et Defensorum Comunis et hominum dicte Terre Montoni quod Potestas, et Rector dicte Terre de mense Iunii teneatur fieri

facere expensis dicti Comunis unum Cereum de Cera in quantitate viginti librarum cere, sicut consuetum est. Ita quoque in Festo S. Ioannis de Mense Iunii ipse Cereus portetur ad ipsam dictam Ecclesiam Plebis S. Gregorii de dicta terra per Potestatem et Rectorem Dnos Sex, et consiliarios dicti Comunis dicte Terre et ibidem per eos offeratur, et Camerarius dicti Comunis teneatur, et debeat fieri facere dictum Cereum ab hominibus fidedignis.

De Cereo dando Ecclesiae S. Francisci in Festo S. Marie. Rub.^a 28.

Item statuimus, et ordinamus ad honorem, et reverentiam Beate Marie Virginis, quod Potestas, sive Rector dicte Terre teneatur fieri facere expensis dicti Comunis de Mense Augusti unum Cereum de Cera ponderis decem librarum Cere qui portetur in Vigilia Festi S. Marie de dicto Mense Augusti ad Ecclesiam, et locum S. Francisci de dicta terra, et ibidem offeratur pro dicto Comuni.

De Elemosina Fratruum Sancti Francisci Rub. 29.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas, et Rector dicte Terre teneatur, et debeat dari facere de bonis dicti Comunis Montoni annuatim Guardiano Fratruum Locis S. Francisci de dicta Terra Montoni, aut eorum Procuratori de Mense Augusti pro indumentis Fratrum dicti loci triginta libras denariorum, et pro reparatione dicti loci libras decem denariorum, aliquo non obstante, et teneatur ipsum locum, et fratres defendere et manutenere conservare, et augumentare, et omnes lites, et questiones eorum ad ipsorum, vel Procuratoris eorum definire, et terminare summarie, expedite sine strepitu forma, et Figura Iudicii, sola facti veritate inspecta.

Qualiter servire teneantur habentes Possessiones in Curia Montoni. Rub.a 30.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque habent possessiones, vel steterit in Terra Montoni, vel ejus districtu teneatur facere omnia servitia, et factiones dicti Comunis, et solvere datas, et collectas imponendas in dicta Terra pro apparatu suo, ut faciunt alii Castellani, et homines dicti Terre. Et quicumque praedicta facere recusaverit non debeat nec possit habere aliquod officium in dicta terra, et si haberit removeatur ab ipso. Si autem in suis bonis aliquod damnum daretur scilicet in Incendium, rapina, tagliamentum, furtum, vel guastum, vel aliquod aliud damnum Comuni dicte Terre ad emendationem aliquam eidem non teneatur pro predictis. Et quod Custodes secreti non possint de bonis ipsorum aliquem damnum dantem denuntiare nec accusare, et si accusaverint, eorum accusatio nullatenus admittatur.

De Assignatione librorum in fine Officii Potestatis. Rub.a 31.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas et Rector predictus omnes suas Scripturas, et suorum in Officio Officiorum quas habuerit in quatuor dies ante exitum sui Officii, dare, et assignare debeat Camerario Comunis dicte Terre ligatos, et sigillatos, sigillo dicti Potestatis, et sigillo dicti Comunis. Qui Camerarius teneatur, et debeat in continenti ipsas Scripturas et libros sic ligatos et sigillatos reponere in Scrineo, sive Cassa dicti comunis existente in Ecclesia S. Francisci Fratrum Minorum de dicta Terra, et etiam promittat dictos ipsos libros, et Scripturas ibidem stare usque ad adventum alterius Rectoris, et teneatur dictus Potestas facere inventarium de omnibus suis Libris, et Scripturis, et dictum Inventarium legere in consilio generali, et in ipso assignare omnes processus

pendentes sub pena librarum decem de suo salario in suo Sindacato retinendo

De Salario Administratorum.
R.a 32.

Item statuimus, et ordinamus quod administratores missi pro facto dicti Comunis habere debeant pro quolibet eorum, et quolibet die si iverint pedestres solidos quindecim denariorum. Si iverint equestres solidos viginti denariorum, et quod non dentur ad massiciatores ad petitionem specialis persone nisi expensis petentis. Qui admassiatores habere debeant ab illa speciali persona illud salarium quod datur a dicto Comuni, et non plus.

De Sindacatu Potestatis, et Balitta Comuni relaxanda. Rub. 33.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas, et Rector dicte Terre teneatur, et debeat tribus diebus, completo suo officio stare in dicta Terra ad Sindacatum, et Sindicus generalis dicti Comunis teneatur eum sindacare, et examinare de omnibus, et singulis rebus que ad manus ejus pervenerint tempore sui regiminis, et de omnibus, et singulis que gerit, et exercuerit in dicto ejus officio. Qui Sindicus teneatur, et debeat satisfacere fieri omnibus et singulis personis a quibus aliquid injuste, et contra rationem accepisset, vel abstulisset, et predicta dictus Sindicus banniri faciat tribus vicibus per dictam Terram, et plus, et minus, prout sibi videbitur, et placebit. Qui potestas absolvi non possit nisi in consilio generali, et nisi primo reddiderit rationem de omnibus, que gerit in dicto ejus Officio, et quod omnes volentes porrigere aliquam petitionem, vel aliquod petere dicto Potestati, vel ejus Officiali, aut familio, teneatur ipsam petitionem porrigere infra secundam diem post exitum ejus Officii. Alio vero die dictus Sindicus teneatur dictum potestatem officialem, et familiam ejus absolvere prout

de jure noverit convenire. Qui Potestas teneatur, et debeat in fine dicti sui Officii, et Sindacatus relaxare dicto Comuni unum Balistam cum cingulo valoris lib. decem denariorum, et si non assignaverit dictum Balistam, et cingulum dicti valoris et extimationis, sed voluerit pro pretio relaxare dicto Comuni existimationem in pecunia numerata, solvat et solvere teneatur dicto Comuni duplum dicte quantitatis de quibus emant. duo vel unum Baliste pro tempore assignanda per potestatem dicte Terre semper videantur, et extimentur per Dominos sex et Sindicum Generalem dicti Comunis, et si invenerint esse minoris pretti et extimationis, faciant suppleri in pecunia pro residuo sub pena dictis Dnis sex et Sindico decem librar. pro quolibet eorum de facto dicto Comuni auferend.

De Platea purganda per Bajulos.

Rub.ª 34.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas dicte Terre teneatur, et debeat purgare, facere per Bajulos dicti Comunis singulis diebus Sabbati plateam Comunis predicti, et Palatium ejusdem Comunis, et scalas lapideas existentes ante dictum Palatium sine aliqua mercede, vel Salario maximo tempore estatis sub vinculo sui juramenti.

De exemptione et franchisia, atque promissione Forensium. Rub.ª 35.

Item statuimus, et ordinamus quod omnes, et singuli forenses volentes habitare in dicta terra, et jurare Castellantiam sint, et esse debeant exempti, et liberi ab omnibus obsequiis, et factionibus personalibus per quinque annos continuos a die juramenti talis Forensis, et promissionis continue habitationis predicte. Qui forenses ad requisitionem Sindici generalis dicti Comunis teneatur, et debeat jurare, et jurando promittere ipsi Sindico recipienti vice, et nomine dicti Comunis continuo se

cum eorum familia, et perpetuo habitare in dicta terra, vel ejus Curia, et non discastellare sine licentia, et voluntate dicti Comunis, et hominum dicte Terre sub pena librarum viginti quinque denariorum dicto Comuni solvendorum.

De Mensuris Bancorum Artificum.

Rub.a 36.

Item statuimus, et ordinamus quod omnes, et singuli volentes facere aliquas bancas in platea, vel stratis publicis ante eorum domus, vel stationes proprias, vel adductas eas facere teneantur, et debeant ad mensuram latitudinis unius pedis cum dimidio, et non majoris, sub pena viginti solidorum pro qualibet banca, et pro quolibet contrafaciente, et nihilominus illud plus removere teneatur, et idem dicimus de omnibus, et singulis banchis factis ante compositionem presentium Statutorum, que in terminum assignandum eis per presentem D. Potestatem si majoris forte fuerint mensure supradictum removeri, et resecari debeantur usque ad dictam mensuram sub dicta pena super quibus possit per Potestatem inquiri ex suo officio ad querelam cujuscumque. Banche vero platee sunt duorum pedum.

De Lavantibus in Foveis Comunis

Rub.a 37.

Item statuimus et ordinamus quod omnes et singule mulieres lavantes pannos in Foveis Comunis extra portam Montis, et juxta Cassaram debeant habere banchettas de ligno super qua possint percutere pannos sub pena quinque solidor. denariorum, et quod nulla ipsarum possit in dicto fonte ponere aliquem lapidem, nec supra percutere pannos sub dicta pena, super quibus Potestas possit, et teneatur requirere sub vinculo juramenti.

De Possessionibus non alibratis alibrandis. Rub.a 38.

Item statuimus, et ordinamus quod si reperiantur aliqua

Possessio, que posita esset in pertinentiis dicte Terre Montoni, et non esset scripta, et allibrata in libro, et catastro dicti Comunis vel de qua non fuerit solutum datium in dicto Comuni teneatur talis possidens illam alibrari facere secundum Libros possessionum vicinarum, et scribi facere in dicto catastro, et solvere omnes collectas et datia impositas, et imposita per libram in dicto Comuni pro toto tempore non soluto, et etiam solvere in dicto Comuni tertium plus dicte quantitatis refecte et solute in dicto Comuni pro dicto tempore non soluto. Que omnia teneantur Sindicus dicti Comunis fieri facere, et executioni mandari a bannitis facere tempore impositionis cujuslibet datii sub pena viginti quinque librarum Denariorum.

De his qui non possunt habere aliquod Officium in Comuni. Rub.ª 39.

Item statuimus, et ordinamus quod nemo qui non fuerit oriundus in dicta Terra Montoni, vel habitaverit ad minus in dicta Terra per annos quadraginta continuos possit eligi nec habere aliquod Officium in dicta terra, et si electus fuerit ipso jure decernimus non valere. Volentes insuper quod eligens de facto solvere teneatur in Comuni libras quinque denariorum.

De Credentiis non manifestandis per Officiales Rub.ª 40.

Item statuimus, et ordinamus quod omnes et singuli credentie imposite Domin. Sex, et aliis Consiliariis dicte terre per potestatem dicte terre vel ejus Vicarium, occulte et secrete teneantur, et nemini pandantur sine ipsius Dni Potestatis licentia, et si quis contrafecerit puniatur de facto sine aliqua remissione in solidis centum denariorum, et Potestas teneatur inquirere et punire quemlibet contrafacientem in predictis sub pena; volentes insuper quod talis manifestans dictas credentias privetur statim suo Officio: et quod nullum Officium possit habere in dicta

terra per decem annos tunc proxime secuturos: sed loco ipsius alter eligatur per ejus socios in dicto officio existentes, et ad probandum predicta sufficiunt duo testes bone conditionis et fame, qui dixerint talem manifestatorem tales credentias suis propriis auribus audivisse manifestare.

De Mensuris et Ponderibus adjustandis.

Rub: 41.

Item statuimus, et ordinamus quod mercatores pannorum Lane, et lini, et quilibet alii vendentes de dictis pannis, habeant et habere debeant passus, et brachia adjustata, et sigillata sigillo Comunis dicte terre, et quod mensure et passus pannorum lane adjustentur, et adjustari debeant ad passus et mensuras dicti Comunis qui ē mensure Perusine, et mensure et passus pannorum, lini adjustentur et mensuras dicti Comunis, que sunt mensure Castellane. Et quod quilibet vendens cum dictis passibus, brachiis et mensuris, mensurare teneatur, et debeat sub pena quadraginta solidorum denariorum sine aliqua detractione cuilibet contrafacienti. Cujus quidem pene accusator habeat quartam partem, et teneatur secretus, et talis vendens, non obstante dicta pena per eum soluta, teneatur dare emptori mensuram debitam. Super quibus Potestas possit inquirere ex Officio et delinquentes punire in pena predicta, et idem dicimus de Belancis ponderibus, et Marchiis, et Stateris quod nullus presumat ea, vel eas non ajustatas, vel non sigillatas retinere, ed cum eis ponderare sub dicta pena, et si fuerit artifex, et ea, vel eas retinere in eius statione, vel cum eis, vel aliqua earum ponderare solvat pro qualibet Belancia, Statera, vel Marca, aut pondere non iustis, vel non sigillatis solvat denarios centum. Super quibus omnibus Potestas possit inquirere, et delinquentes de facto in dictis penis punire sine aliqua remissione ex suo officio, et ad accusaredᵉ, et denuntiandum cujuscumque.

De Mensuris, et Ponderibus in Comuni habendis Rub.ca 42.

Item statuimus, et ordinamus quod in Comuni dictæ terræ sint, et esse debeant penes Sindicum, seu Camerarium dicti Comunis, omnia, et singula pondera, et mensuræ atque Belanciæ et pondera Florenorum. Nec non et mensuræ Bladi, Vini, Olei et Salis, quarumcumque rerum mensurandarum, et ponderandar, cum quibus ponderibus, et mensuris quilibet possit et debeat suas mensuras, et pondera adjustare, et adjustare facere, et sigillare sigillo Comunis, et quod quilibet volens aliquid vendere ad pondus, vel mensuram, teneatur mensurare et ponderare mensuris, et ponderibus adjustatis et sigillatis modo predicto, et quilibet Artifex teneatur mensuras et pondera pertinentia ad suam Artem tenere adjustatas, et stampadas dicta stampa in ejus Camera, sive Statione non aliter sub pena quinque librarum denariorum pro quolibet pondere, seu mensura non justis aut stampis ut dictum est. Et quilibet alter non Artifex si contrafecerit predictis, vel aliquo predictorum condemnetur in solidis quadraginta denariorum, et in emendationem damni recipienti minus pondus, seu minorem mensuram. Item dicimus statuentes quod mensuræ Bladi dicti Comunis de novo habeantur per dictum Comune novæ cum ferro in medio super quo ducatur rasura qua mensurantur Bladi quæ rasæ tantum capiant, quantum capiunt illæ quæ sunt in Comuni cum culmatura, cum quibus quilibet vendens bladum mensurare teneatur ad penam solidorum quadraginta denariorum.

Quod nullus condemnatus pro falso possit habere Officium Rub.ca 43.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque de dicta Terra, vel ejus destrictu fuerit vel erit condemnatus de falso non possit, nec debeat habere aliquod Officium in Comuni, et qui-

cumque elegerit aliquem de predictis ad aliquod officium in centum solidos denariorum vice qualibet puniatur, et dicta electio nihilominus sit inefficax, et inanis, et Potestas possit inquirere ex suo officio contra quemlibet delinquentem in predictis.

Incipit Liber II.

Super ordine Judiciorum Civilium

Quoniam justitia est constans, et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens; ideirco de Justitia, et de jure in presenti libro pertractaturi statuimus, et ordinamus nos Statutarii supra scripti quod in civilibus caussis procedatur, et jura reddantur unicuique petenti per Potestatem dicte Terre Montoni, et ejus Vicarium, secundum modum, et ordinem infrascriptum, et secundum capitula infrascripta.

Qualiter citationes fiant in civilibus caussis, et de contumacia reorum. Rub. 1.

Statuimus, et ordinamus quod Rector, Potestas, ac Vicarius dicte Terre Montoni teneantur et debeant ad petitionem creditorum petentium coram eis de debitis de quibus non apparet instrumentum vel processura a curia facere citari debitores hoc modo, videlicet Si fuerit de mane citari debitor ad petitionem sui creditoris per bajolum dicti Comunis, qui dicta die ante Vesperas hora caussae in qua pulsatur Campana dicti Comunis pro jure reddendo compareat coram Potestate, vel ejus Vicario responsurus de jure suo creditori. Si vero fuerit de sero citetur pro sequenti die personaliter vel ad domum sue solite habitationis qui dicta die ante tertias, vel ante vesperas componeat coram dictis Officialibus responsurus de jure suo creditori. Et si reus non comparuerit in termino prime citationis de ipso facto citetur

alia vice perentorie modo predicto: et in ambabus citationibus modo predicto factis non comparuerit pronuntietur contumax, et habeatur pro confesso, et convicto, et testibus superato super tota questione, vel repetita nisi legitimam causam excusationis sue contumacie habuerit infra infrascriptum terminum faciend. Et hoc idem dicimus si fuerit debitum de quo petitio, narratio, intentio, sive libellus porrectus fuerit, et similiter citetur bis modo predicto qui veniat coram Potestate, vel ejus Vicario ad tollendum copiam, et respondendum, sive opponendum dicte petitioni sive libello, et si non comparuerit in termino dictarum citationum habeatur pro confesso, et convicto de omni eo, et toto quod in dicta petitione seu libello continetur. Et nulla citatio fieri debeat ante productionem petitionis, sive libelli, et si fieret non valeat ullo modo, et tunc Potestas vel Vicarius contra tales contumaces teneatur contumaciter procedere ad petitionem creditorum et dari facere tenutam talibus creditoribus de bonis eorum debitorum pro mensura debiti declarati et pro expensis legittimis primo mobilium, secundo immobilium, et tertio nominum debitorum secundum Juris ordinem. Quam tenutam possit debitor recuperare infra quatuor dies post quam accepta fuerit, et hoc si assignaverit fuisse legittime impeditum, quare non potuerit comparere in dicto termino de quo impedimento stetur juramento debitoris refectis tamen primo expensis, quibus non refectis et solutis nullatenus audiatur. His vero refectis partes audiat deffiniat, et terminet dictas causas prout de Jure noverit faciendum. Et si non comparuerit, et refecerit dictas expensas ut supra teneatur recolligere dictam tenutam contra se datam suo creditori. Si ipsa tenuta data fuerit de re mobili infra quindecim dies a die accepte tenute computandos, et si de re immobili infra triginta dies, et si infra dictos ter-

minos dictam tenutam non ricolligerit et satisfecerit suo creditori de re, vel quantitate posita et expensis legittimis fiat preceptum dicto debitori qui infra tres dies reluat dictam tenutam, et si in dicto termino non recollegerit banniatur in scalis palatii dicti comunis tribus vicibus, et tribus diversis diebus: si quis vult emere dictam tenutam, et plus offerenti detur. Et si nullus comparuerit qui ipsam tenutam emere velit, factis tribus vicibus bannimentis, et elapsis dictis tribus diebus, detur, et dari debeat dicto creditori in solutum et pagamentum secundum estimationem fiendam per duos homines fide dignos eligendos per partes vel per actorem et Potestatem vel Vicarium loco et nomine rei, si reus non adfuerit si tenuta fuerit de re mobili, si vero fuerit de re immobili debeat extimari dicta tenuta per duos vicinos rei, sive contrade in qua sita est talis res data in tenutam recepto prius juramento ab dictis extimatoribus de extimando dictam tenutam bona fide, et sine fraude, qua extimatione facta, detur dicta tenuta actori in solutum et pagamentum secundum extimationem factam per duos estimatores pro mensura debiti declarati, et pro expensis legitimis. Et si dicta tenuta estimaretur plusquam fuerit mensura debiti et expensarum, tunc id quod supererit dictus actor restituere teneatur, et debeat reo predicto. Et si dicta tenuta non fuerit sufficiens detur sibi alia tenuta, sive pignus, vel si non reperiretur sufficiens in bonis debitoris facta discussione habeant licentiare contra pignorum possessores, vel nomina debitorum, ut juris fuerit, vel de residuo reus remaneat debitor. Si de tenuta non suppleverit dicto creditori, et supplere non potuerit et revocatio tenute solum habeat locum in his qui citati fuerint ad domum eorum solite habitationis vel alibi non in personam. Citati vero personaliter semel

vel bii eorum tenutam recuperare non possint sed cogantur realiter, et personaliter ad libitum creditoris pro quolibet debito quandocumque petitio vel cum libello, vel sine. Et si dictus debitor citatus fuerit contumax, et non reperiretur de quo possit capi tenuta, nec reperirentur pignorum possessores vel nomina Debitorum, tunc ponatur in banno talis contumax per unum ex preconibus dicti comunis mandato potestatis, vel Vicarii in scalis Palatii dicti Comunis in quantitate vel repetita et expensis de dicta Terra Montoni ejusque fortia, et districtu, in quo banno assignetur sibi terminus trium dierum perentorie ad comparendum, respondendum, et fidejubendum de stando juri et judicatum solvendo suo creditori. Qui reus contumax et bannitus predictus si venerit ad fidejusserit modo predicto, et expensas refecerit, et solverit dicto suo creditori revocetur dictum ejus bannum, et audiantur et admittantur jura ejus si valida sunt in jure. Et si non comparuerit in dicto termino currat in dictum bannum, et personaliter capi possit, et detineri.

Insuper statuimus, et ordinamus quod forenses citentur et citari possint ad domum in qua hospites fuerit, vel soliti fuerit hospitari, vel ad hospitium dicte terre, et in scalis Palatii dicti Comunis alta voce, et publice in presentia unius vel duorum testium si personaliter reperiri non potuerit, vel ad domum alicujus ubi suam citationem forte elegerit, et valeat dicta citatio in aliquo ex dictis locis facta per bajolum dicti Comunis ac si facta fuerit personaliter, vel domi habitationis talis forensis.

De comparitionibus Reorum, et Libellis dandis.

Rub: 2.

Item statuimus, et ordinamus quod si citatus venerit in termino requisitionis offeratur ei libellus si ab eodem fuerit

porrectus, super quo libello si fuerit porrectus a dicto Potestate assignetur ei terminus decem dierum ad respondendum, et eo elapso lis contestetur per paries, vel per Judicem contestetur, pronuntietur litem haberi pro contestata, et pro contestata habeatur, et si petitum fuerit de calumnia juretur et in causa procedatur ad sententiam ferendam salvis et reservatis omnibus exceptionibus dilatoriis, declinatoriis, et peremptoriis, et aliis quibuscumque, quæ quæ etiam post litem contestatam opponi possunt, de quibus Potestas, vel Vicarius simul usque ad finem cognoscere teneatur, et si Potestas vel Vicarius pronuntiaverit definitive super quæstione principali intelligatur lata sententia super exceptionibus dilatoriis, et declinatoriis, quibuscumque oppositis. Si vero contingat super dilatoriis seu declinatoriis cognoscere, et pronuntiare non esse procedendum obstantibus exceptionibus vel nullum esse processum quod salvum sit negotiis principalis Jus, et intactum remaneat, et Idem intelligatur et fiat quando libellus porrigitur per Procuratorem fiat tamen, et fieri debeat legitimatio mandatorum per dictum Potestatem, vel Vicarium ante litem contestatam modo prædicto si ante litem contestatam contingat opponi contra mandata, et facta litis contestatione, dictus Potestas vel Vicarius statim assignet terminum decem dierum ad minus utrique parti ad probandum incumbentia. In aliis vero dilationibus et terminis concedendis in processu dictarum causarum Potestas habeat, et habere debeat et intelligatur, et similiter Vicarius arbitrium, et auctoritatem dandi, et consignandi prout ei videbitur, et placebit considerata qualitate facti dummodo dilatio minus una die non concedatur nec major quinque dierum, et prædicta quæ probantur in causis scribantur in libro Curiæ Domini Potestatis.

De Libellis dandis.

Rub.a 3.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas et ejus Vicarius possint diffinire, et terminare omnes lites, causas, et questiones que verterentur coram eis a decem libris denariorum infra summarie sine strepitu, forma, et figura Judicis, et sine libelli oblatione cum juramento creditoris, et uno teste bone fame vel per juramentum si actor voluerit stare juramento rei. A decem libris denariorum vero supra Libellus narratio, intentio, sive petitio porrigatur, et procedatur via ordinaria si petitum fuerit a debitore, et supra ipso libello procedatur usque ad definitivam sententiam, ut postulat ordo juris, et secundum quod probatum fuerit ita sententietur, et terminetur per Podestatem vel Vicarium predictum fieri per debitores suis creditoribus nisi creditor stare voluerit juramento debitoris de eo per quod sibi petierit modo predicto.

De Citatione heredum alicujus Defuncti.

Rub.a 4.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis civiliter agere voluerit contra heredes, et bona alicujus defuncti ipsos heredes citari faciat, et requiri aliquem per aliquem ex bajulis dicti Comunis hoc modo: videlicet quod Bajolus ille qui ad citandum iverit, vadat ad locum domus sive receptaculum ubi illi qui heredes fuerunt, habitare consueverint, vel ad domum sive locum ubi dictos heredes crederit habitare, et citando dicat publice, et alta voce quod quicumque vult esse heres talis defuncti, vel ejusdem bona defuncti defendere, veniat in termino trium dierum sibi per bajolum assignando se et dicta bona defensurus si poterit coram dicto Podestate, vel ejus Vicario a petitione illius qui eum citari fecit, et responsum super eadem ipsi actori per se, vel legitimum responsalem in quo termino hujusmodi

citationis si nemo comparuerit qui diceret, aut vellet se esse heredem talis defuncti, et pro eo respondere, et se, et dicta bona defendere a dicta petitione, et contentis in ea, dicto termino elapso per preconem comunis banniatur tribus diversis diebus publice, et alta voce ad Scalas Palatii dicti Comunis dicendo quod quilibet vult esse heres talis defuncti, et se, et bona ipsius defuncti defendere, vel pro ipso herede, aut heredibus respondere veniat infra tres dies perentorie a die dicti banni computandos coram dicto Potestate, vel ejus Vicario de jure responsurus Actori, et se, et dicta bona defensurus specificando semper nomen defuncti cujus heres sit, et nomen illius qui ipsum heredem citari facit. In termino ejus bannimenti si non comparuerit aliquis qui velit esse heres, et pro herede respondere, et se, et bona talis defuncti defendere ad petitionem petentis de jure procedatur per dictum Potestatem vel Vicarium contra dictos heredes, tamquam contra contumaces, et Actor in possessionem bonorum talis defuncti, vel heredum mittatur pro mensura debiti declarati, et pro expensis legittime factis, et fiendis, sicut in capitulo de citatis, et non comparentis plenarie continetur.

De Iurejurando.

Rub.ca 5.

Item statuimus, et ordinamus quod si super aliqua petitione vel libello in scriptis facta, vel data, vel sine, de quacumque quantitate pecunie re, vel negotio, pacto, vel conventione, aliquis actor obtulerit reo jusjurandum, scilicet, aut jurare rem petitam dare, vel facere non debere, vel ad petita non teneri aut ipsi actori remittere juramentum, et referre, reus ipse antequam recedat a presentia dicti Potestatis vel Vicarii teneatur jurare, aut referre, et idem Potestas, vel Vicarius teneatur cogere dictum reum ad jurandum vel referendum, et si dictus reus noluerit jurare vel referre, et rem petitam, vel

negotium confiteri habeatur pro confesso, et convicto, et testibus superato . . . .

.

.

.

.

.

.

.

.

quinque dierum ad reprobandum dictum juramentum reservato in ipso juramento beneficio presentis Statuti vel non, et si tale juramentum in predictum terminum reprobatum fuerit per duos testes ad minus, et talem jurantem dierasse puniatur talis dejerans in pena contenta in Statuto posito sub Rub.ª de pena falsi.

De confitentibus aliquam rem in Judicio.

Rub.ª 6.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis ad petitionem cujuscumque petentis fuerit confessus rem aliquam quantitatem pecunie, vel negotium aliquod in judicio coram Potestate vel Vicario ipso Actore vel ejus Procuratore presente et petente teneatur dictus Potestas vel Vicarius coram quo fieret talis confessio assignare confitenti terminum decem dierum proximeum vel minorem arbitrio suo, ad solvendum, et satisfaciendum actori confessata. In mercedibus vero adjutorii petitis infra terminum statuti, vel artificum confessatis, fiat petentibus jus summarium, et expeditum; et mandatum de non recedendo de palatio donec Actori integre solutum fuerit, et satisfactum diebus feriatis, et feriis quibuscumque non obstantibus. Et idem dicimus de vino,

et scottis venditis in hospitio, vel taberna, et si reus infra terminum predictum decem dierum ejus venditori non solverit citetur, vel capiatur, atque detineatur in Palatio, seu carceribus Comunis ad arbitrium, et voluntatem sui creditoris, et non relaxetur nisi prius fecerit solutionem, vel sine licentia sui creditoris, et si quantitas petita fuerit a decem Florenis supra, et dictus debitor noluerit stare detentus, sed obtulerit ejus creditori tenutam suorum bonorum qui tunc et eo casu actor teneatur accipere dictam tenutam ubi melius, et utilius sibi videbitur, et placebit ad quam tenutam reluendam reus habeat terminum unius anni, et si non solverit in dicto termino, tunc eo elapso teneatur, et debeat dictus reus dicto actori de dicta tenuta instrumentum venditionis facere pro tertia parte minus totius extimationis dicte tenute extimande per duos homines comuniter eligendos, et hec locum habeant in quantitatibus quibuscumque occasione, cujuscumque instrumenti, sententie, laudi, vel apodixe scripte manu debitoris, et cujuscumque ultime voluntatis quo reus non esset solvendo pro quibus concedere, et assignare vellet tenutam, et assignaverit, et non in aliis tenutis, alio modo datis seu captis. . . .

. . .

. . .

. .

De responsionibus faciendis super positionibus
Rub.a 7.

Item statuimus, et ordinamus quod quando contigerit aliquem respondere super aliquibus positionibus respondens teneatur respondere simpliciter, et sine aliqua obscuritate alias habeatur pro non responso, et quod si pars que fecerit positiones vellet quod procurator respondentis removeretur inde

Potestas vel Vicarius teneatur mandare tali procuratori, et cogere ut debeat inde recedere sub pena ejus arbitrio auferendo, et quod quando quis interrogaretur de facto suo debeat statim respondere. Si vero supra, vel de facto alterius debeat ei statui terminus ad deliberandum si petierit.

De Instantia Causarum
Rub.a 8.

Item statuimus, et ordinamus quod in omnibus quibuscumque litibus, caussis, questionibus, seu controversiis que deinceps ventilabantur in terra Montoni in quibus lis contestata vel pronuntiata fuerit haberi pro contestata excedentibus summam decem librarum denariorum, seu tantum valorem rei petite super causa principali instantia duret, et durare debeat per duos menses continuos, et non ultra incipiendos a die litis contestate diebus feriatis et feriis in dicto termino non computandis, in quos duos menses Dominus Potestas teneatur, et debeat procedere, et dictas causas terminare, decidere, et decidere et sententiare sub pena librarum quinquaginta. Addentes quod si in predictis caussis, vel aliqua ipsarum peteretur compromissum fieri inter partes infra tempora predicte instantie, tempora quibus durat dictum compromissum nullatenus computentur, nec tempora appellationum interponendarum pendentibus caussis et questionibus predictis. Et si contigerit quod adveniente, et officium exercente novo Potestate non superessent de instantia nisi decem dies utiles, vel minus tunc in dicto casu ultra dictos duos menses intelligatur durare instantia predicta per alios decem dies utiles. Itaque infra dicta tempora dictus novus Potestas teneatur, et debeat dictas lites, et causas fine debito terminare sub pena predicta.

De executione Instrumentorum, et Sententiarum
Rub.ca 9.

Item statuimus, et ordinamus quod teneatur Potestas, et ejus Vicarius vinculo juramenti executioni mandare ad petitionem creditorum omnia et singula instrumenta publica sententias, et precepta, et lauda, sive arbitramenta de quibus questionibus vel rebus depositis, mutuis, et petitis que producerentur coram eis ad petitionem creditorum hoc modo, videlicet quod ad petitionem creditoris citari faciat debitores per bajolum Comunis dicte Terre semel tantum, personaliter, vel ad domum eorum solite habitationis, et si mane fuerit, citetur pro sequenti sero ante vesperas; si vero fuerit de sero citetur pro sequenti mane ante Tertias, vel pro sero ante Vesperas. Si vero fuerit de sero citetur pro sequenti mane ante tertiam, vel pro sero ad Vesperas quatenus comparere debeat in dicto termino sue citationis coram dicto Potestati vel Vicario ad opponendum contra talia instrumenta, precepta, sententias, et Lauda, vel aliquid eorum quicquid per formam presentis statuti potest, vel ad replenum mandatum de solvendo creditori satisfaciendo, et adimplendo omnia in eis, seu aliquo eorum contenta de stando in palatio, donec idem cum effectu fecerit que Dominus . . . .

Potestas vel Vicarius faciat executioni mandare, et adimplere summarie sine libelli oblatione litis contestatione, et omni strepitu et figura judicii obmissis nisi exceptio solutionis quietationis, prorogationis termini, vel falsitatis, seu pendentie litis propter appellationem, aut ~~mensuram~~ recursum ad arbitrium

boni viri ab aliqua sententia, seu laudo aut una, vel plures ex ipsis opposita fuerit, quae exceptiones tantummodo opponi possint, et admittantur, et probari debeant infra decem dies a die oppositionis hujusmodi computandos, qui terminus per Potestatem, vel Vicarium praefigatur perentorie dummodo ille qui oppositiones praedictas opposuerit cogatur continuare durante dicto termino in palatio residentiae dicti Potestatis personaliter stare detentus donec praedicta probaverit, vel deponere quantitatem vel res instrumentis, sententiis, praeceptis, vel laudo contentis, seu contentam in manibus Camerarii dicti Comunis; et si talis debitor comparuerit, et praedicta non opposuerit, fiat sibi mandatum per dictum Potestatem vel Vicarium, quod non recedat de dicto Palatio donec ejus creditori integre, et cum effectu satisfecerit de omnibus iis ad quae tenetur, vel saltem sine licentia dicti sui creditoris, et non aliter. Et si placuerit creditori quod talis ejus debitor detineatur in palatio, et custodiatur, vel incippetur si foret persona suspecta, dictus Potestas, vel Vicarius faciat talem debitorem custodiri sumptibus dicti debitoris, vel incippetur donec dicto creditori satisfecerit, vel satisdederit de non recedendo de palatio nisi prius, solutione facta, et sine licentia et voluntate dicti sui creditoris. Si vero talis debitor non comparuerit in termino citationis personaliter de eo facto, vel contumax fuerit, teneatur Potestas, vel Vicarius talem debitorem, seu debitores facere capi, et detineri, seu constringi realiter, et personaliter, et teneatur de suis bonis dare facere suo creditori usque ad integram satisfactionem quoties per Creditorem fuerit postulatum, salvo quod si per aliquem allegaretur absentia talis rei, seu debitoris, quod tunc Potestas se informet de loco ubi esset talis debitor, quo cognito, statuat terminum tali debitori, ut ipsi potestati placebit, et videbitur, considerata distantia loci, praedicti. Excipientes tamen a pre-

dictis Instrumenta usuraria, et usurariorum. Tabernariorum, et Camerariorum Comunis que executionem non mereantur nisi facta sint infra decem annos a die celebrationis usque ad diem executionis computandos excipientes etiam Instrumenta que per sex annorum spatium prescribantur, et post dictum tempus, et spatium totaliter evanescant, et nullam mereantur executionem, et hec omnia habeant locum in presentibus preteritis, et futuris. Volentes et firmantes quod omnia in ultima voluntate relicta executioni mandentur in bonis relinquentis, videlicet relicta ad pias causas, et predicta fiant ad petitionem fideicommissariorum, vel alicujus ipsorum qui recipere teneantur dicta relicta, prout executioni mandantur alia testamenta.

De executionibus Testamentorum, et ultimarum Voluntatum. Rub.ª 10.

Item statuimus, et ordinamus quod si locis Ecclesiasticis, vel Religiosis, vel aliis quibuscumque personis fuerit aliquid relictum, ac legatum in testamentis, Codicillis, vel aliis ultimis voluntatibus quod Potestas, vel ejus Vicarius coram quo fuerit petitum teneatur et debeat facere dari, tradi, et solvi ei, vel eis, cui, vel quibus aliquid legatum, vel relictum fuerit sine libelli oblatione, et sine strepitu, et figura judicii summarie, et de plano ab heredibus illius, qui legavit, vel ab illis de quibus dispositum est in dicto Codicillo, seu vel ultima voluntate, et a possessoribus hereditatis, et teneatur, et debeat dictus Potestas, vel Vicarius coram quo petitum fuerit infra tertiam diem dicta testamenta, et codicillos, et ultimas voluntates contra dictos heredes, et possessores hereditatis, et alios de quibus dispositum est in dicta ultima voluntate realiter, et personaliter exequi, et executioni mandare, addentes quod in relictis, et legatis ad pias causas, possit procedi, et cognosci quo-

libet die feriato, et non feriato. Item dicimus quod si aliquis esset heres cum beneficio legis, et inventarii non teneatur, nec cogatur ultra vires hereditarias. Item quod si alique res immobiles relicte fuerint pro anima, nulla persona possit de ipsis rebus tenutam, vel possessionem intrare sine Judicis auctoritate, videlicet Potestatis predicti vel ejus Vicarii, et si intraret ipsa possessio sit ipso jure nulla, et predicta locum habeant in presentibus, preteritis, et futuris.

De Venditionibus, et Donationibus inter vivos.

Rub.a 11.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque aliquam donationem alicujus rei alteri obligatam, ab aliqua persona receperit, teneatur solvere creditoribus illius persone que donaverit, vel donabit a contractu ante dictam donationem, ad que dicta res donata foret obligata usque ad integram satisfactionem, vel jura reddere Creditori in dictis rebus donatis, sed in debitis contractis post dictam donationem minime teneatur. Que quidem dicimus declaranda, et observanda in predictis tunc cum persona que donavit non esset idonea ad solvendum debita Creditoribus suis que locum habeant in presentibus, preteritis, et futuris. Item quandocumque alia donatio fieret inter vivos banniatur et banniri debeat infra decem dies post factam donationem tribus vicibus, diversis diebus publica, et alta voce per preconem Comunis dicte Terre in locis publicis et banniri consuetis ad petitionem alicujus de partibus ut omnibus et certa, et nota sit donatio facta. Et si in dicta bannimenta facta reperirentur aliqui contractus, seu instrumenta cum Creditoribus dicti Donatoris, tunc dicti contractus et instrumenta valeant, et teneant; et res donata obligata remaneat dictis Creditoribus, ac si non fuisset donata. Et illud

idem intelligatur in omnibus, et singulis venditionibus factis, et faciendis, et alienationibus quibuscumque per unam personam alteri persone de omnibus, et singulis suis bonis immobilibus vel parte ipsorum ultra dimidiare. Que quidem Venditiones, et Alienationes sic facte vel fiende presumantur quoad Creditores simulate et in fraudem creditorum facte, non factis dictis bannimentis, et quoad dictos Creditores non valeant quoque modo, si tempore ipsorum venditionum vel alienationum, seu donationum facturum Venditor, alienator, vel Donator repertus fuerit rem venditam alienatam vel donatam possedisse per unum annum a die venditionis, alienationis, vel donationis imposterum computandum. Et predicta locum habeant ad presentia, et futura.

Quod nullus contrahat cum aliquo Filio familias

Rub. 12.

Item statuimus et ordinamus quod nulla persona contrahat cum aliquo filio familias in patria potestate constituto, vel cum eo contractum faciat: qui contractus sit vel esset damnosus ipsi filio, et si aliquis contractus reperiretur factus in damnum ipsius filii familias minoris 25. annis sit cassus, irritus, et nullus, et nullius valoris et ex nunc, prout ex tunc habeatur pro casso, irrito, et nullo, et Potestas, sive Vicarius de eo nullam faciat executionem pena vigintiquinque librarum denariorum, tempore sui Sindacatus de suo salario solvendarum, et predicta credantur solummodo dicto patris vel avi cum juramento unius testis probantis de ipso contractu an sit utilis nec ne filio familias. Et idem dicimus de minoribus 25. annorum non suppositis patrie vel avie potestati quod contrahere non possint cum aliquo, vel aliqua persona sine Tutore, vel Curatore, vel saltem sine sententia, licentia, et consensu

duorum proximiorum consanguineorum, et si contraxerint non valeat talis contractus in eorum damnum, nec aliquam executionem mereatur, nec sortiatur effectum. Et quia interest reipubblicę ne quis sua substantia male utatur volumus et in presenti Statuto firmamus quod si aliqua persona etiam major 25. annis sit prodiga, et rebus suis male utatur non possit obligari ex aliquo contractu, promissione, vel pacto sine licentia, et auctoritate sui curatoris, et si qua facta foret obligatio, vel fieret in futurum contra predictum sit ipso jure nulla. Quem Curatorem Potestas, vel Vicarius dare teneatur, et debeat ad petitionem cujuslibet consanguinei vel affinis, vel aliquorum ex officialibus dicti Comunis, et quod omnes contractus facti per minores predictos, et dictos prodigos, preter formam predictam etiam si fuisset sacramento firmati, ipso jure sint nulli, et nullius valoris, et si contrafactum fuerit in aliquo predictorum presumatur ex nunc, prout ex tunc factum fore dolo, fraude, et machinatione, et predicta locum non vindicent in contractibus Matrimonij. . . . dotalibus, Sponsalitijs, et pacis in quibus obligari possint pro libito voluntatis, dum tamen existant majores quatuordecim annis.

De Fidejussoribus a Forensibus sine damno conservandis. Rub.a 15.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis Montonensis apud aliquem pro aliquo forense super aliquo negotio fidejusserit, vel principaliter se obligaverit pro eodem, et petierit coram potestate, vel Vicario se a dicto forense conservari indemnem teneatur ipse forensis dictum Montonensem ad petitionem ipsius indemnem conservare, et extrahere, et liberare ab obligatione predicta. . . .

mandato Potestatis, vel Vicario, ut certo termino in ipsis literis assignando comparere debeat coram dicto Potestate, vel Vicario dicto Montonensi, si super sua petitione de justitia responsurus, vel ipsum a predicta fidejussione, et obligatione principali liberet et extrahat, et si non comparuerit, vel dictum Montonensem ab obligatione non liberaverit ponatur in banno dicto obligato in quantitate posita a dicto Montonense in damnis quoque et expensis, et interesse, et dicto Comuni Montonis in duplum quantitatis predicte, qui si postmodum inventus fuerit ad solutionem omnium predictorum compellatur. Et hoc locum habeant in presentibus, preteritis, et futuris.

Quod Jus reddatur Forensibus.

Rub.a 14.

Item statuimus, et ordinamus quod omnibus, et singulis forensibus, conquerentibus de aliquo Montonense in Curia Comunis dicte Terre Montoni cum potestate, vel ejus vicario super aliquo negotio vel re, fiat jus summarium et expeditum sine strepitu, forma, et figura Judicii, juris ordine pretermisso, et diebus feriatis, et feriis non obstantibus, nisi probaretur quod in terra talis forensis predictus, jus Montonensibus non ministraretur, quo casu illud jus fiat eis, quod fit Montonensibus in terra talis Forensis, et non aliter.

De Represaliis contra Forenses concedendis.

Rub.a 15.

Item statuimus et ordinamus quod si aliquis Montonensis

ab aliquo . . . . forense, vel aliqua universitate, comunitate, terra, castro, vel loco, vel eorum Territorio damnum aliquod personaliter vel in rebus occasione aliqua receperit, vel modo aliquo sustinuerit aliquam injustitiam, vel gravamen, et de predictis injuriis, gravaminibus, sive damnis coram Potestate . . .

.

.

.

vel ubi de debito, vel credito non extiterit ut convenit satisfactum, Potestas cum consensu dictorum Dominorum sex de regimine recepta dicta querela ex petitione ipsius Montonensis faciat dictam Comunitatem, vel locum ubi fuerit talis gravatio, damnificatio, vel injuria commissa per literas Comunis, tum expensis petentis requiri que litere requirant dictam Comunitatem continentes in se totum factum seriatim et querelam expositam coram eis, et quod tali querelanti satisfiat a suis debitoribus, vel de suis indemnitatibus provideatur, vel quia sibi a quibus fuerit illata injuria satisfiat que litere mittantur per juratum, nuntium, et de presentatione stetur ejus relationi quam faciat et facere debeat coram Potestate, et ejus Curia. Que quidem littere registrentur in Actis, et Libris Comunis dicte Terre, et Curie prefati Dni Potestatis, et scribatur etiam commissio portationis, et presentationis dictarum literarum, atque relatio nuntii. Et si ex serie dictarum literarum tali injuriato, et damnificato non fuerit de suis injuriis, et damnis satisfactum ut convenit, iterum scribatur, et mittantur ambasiatores pro parte dicti Comunis, et requiratur dicta

comunitas, et Pretor ipsius, ut dicto tali damnificato vel injuriato satisfiat, ut dictum est, et si per potestatem regimen et Comune talis Terre satisfactum non fuerit, ut decebit, per Potestatem dicte Terre Montoni, et majorem partem Dominorum Sex, et aliorum de consilio generali dicte Terre licentia concedatur capiendi, arrestandi, et retinendi de bonis dicti Comunis, vel specialium personarum usque ad satisfactionem condignam qua satisfactione facta dictas represalias decernimus in posterum pro dicta indemnitate non valere, immo ex nunc prout ex tunc derogamus.

De penis imponendis in Civilibus Causis.

Rub.a 16.

Item statuimus, et ordinamus quod quilibet debeat justis, et equis mandatis Potestatis, et ejus Vicarii per eos factis vel fiendis occasione eorum Officii exercendi in civilibus causis obedire in quibus Potestas possit imponere penam quadraginta solidorum denariorum pro qualibet die semel super una causa, et contra unam personam. Vicarius autem imponere possit penam viginti solidorum denariorum, et si ultra dictas penas imponerent, decernimus illud plus non valere, nec cogi possit talis inobediens ad solvendum illud plus, et si cogeretur Potestas vel Vicarius contrafacientes in duplo puniatur.

De Debitoribus Suspectis

Rub.a 17.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis coram Potestate vel Vicario suum Debitorem allegaverit suspectum, et fugitivum, cum Iuramento, et quod non possideat bona stabilia sufficientia pro suo debito persolvendo, et petierit eumdem debitorem capi debere ad suam petitionem, ostenso primo Instrumento debiti, vel recepto Sacramento Creditore quod petit, et petere intendit, vere recipere debet, et sibi satisfactum non est in totum, vel in parte atque animo calumnie non petit, Potestas, vel Vicarius faciat eum

capi, et duci coram eo, et eum faciat detineri ad petitionem Creditoris donec satisfecerit idonee de Iuri parendo, et Iudicatum solvendo, et si satisdare non potuerit vel noluerit, detineatur sub bona custodia, donec integre satisfecerit suo Creditori, vel ostenderit se ad petita non teneri: Si quis autem aliorum suum debitorem suspectum juraverit pro aliquo debito, et bona ejus essent sufficientia pro petito debito satisfaciendo, et probatum fuerit per duos Testes bone fame ad minus, tunc talis suspectus ab omni captione relaxetur et liberetur et contra ipsum via ordinaria procedatur, et nihilominus allegans, et jurans suspectum dictum suum debitorem pro tali Iuramento in solidis centum denariorum vice qualibet condamnetur.

Quod tertia Pars Dotis remaneat apud Virum. Rub.^a 18.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis ceperit, et duxerit uxorem, et ipsa contingat ante suum Virum sine filiis, vel filiabus, vel filio, aut filia ex ipsis legitimis Matrimonio natis decedere, tertia pars sue dotis quam habuerit ab ea, vel pro ea a quibuscumque personis, seu fuerit ejus Viro, vel alteri pro eo promissa sit, et esse debeat dicti sui Viri, aliquibus Iuribus, seu legibus quibuscumque, non obstantibus nec etiam obstantibus quibuscumque promissionibus factis de tota dote restituenda tempore sue Mortis per ejus Virum.

Qualiter Consanguinei discordes ad concordiam reducantur. Rub.^a 19.

Item statuimus, et ordinamus pro bono pacis, et concordie conservande inter Montonenses, quod quandocumque esset discordia aliqua, seu oriri posset inter Patrem, et filium, seu filios, fratres Carnales, et alios Consanguineos conjunctos usque ad quartum gradum, Potestas, vel Vicarius debeat ipsas partes ad concordiam reducere, et cogere ad compromittendum eorum

questionem de Iure, et de facto in duos consanguineos prout melius fieri poterit, et ipsis Officialibus videbitur convenire, et prout in Statuto de Arbitriis et Laudis infra posito continetur, et pars que predicta facere contempserit condemnetur arbitrio Potestatis vel Vicarii.

Quod nullus capiatur in Domo propria vel conducta. Rub.ª 20.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus de dicta Terra Montoni, et ejus districtu capi possit in ejus Domo habitationis propria, vel conducta pro aliquo debito, si in dicta Terra fuerit custodiam vel fuerit allibratus, salvo quod si a petente Reus fuerit juratus suspectus, et fugitivus, et non possidens in bonis stabilibus tantum, quantum ipse videbitur recipere, debet ab eodem tunc, et eo casu capi possit ubicumque, et quandocumque placuerit Creditori.

Quod qui possiderit aliquam rem per Decem annos sit verus Dominus. Rub.ª 21.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque de dicta Terra Montoni, et ejus districtu possiderit aliquam rem immobilem, seu aliqua bona immobilia in dicta Terra vel ejus districtu a decem annis citra cum justo titulo, et per ipsum spatium temporis pacifice, et quiete sine contradictione et molestatione alicujus persone, quia ex tunc vigore presentis Statuti, talis possidens sit verus Dominus, et possessor dicte rei, sive dictorum bonorum, et pro vero Domino, et possessore habeatur, et si possiderit rem stabilem sine titulo, et bona fide per tempus, et spatium vigintiquinque annorum pacifice, et quiete sine aliqua contradictione, tunc sit Dominus et Possessor talis Rei; Et si possiderit aliquam rem mobilem, et semoventem per duos annos cum titulo et bona fide, vel si possiderit sine titulo per quinque annos sit, et esse intelligatur verus Dominus, et

Possessor talis rei; nisi esset furto subtracta, et Domino re mala fide possessa.

Quod Potestas teneatur dare Consilium Sapientis. Rub.a 22.

Item statuimus, et ordinamus quod a qualibet sententia difinitiva, seu interlocutoria in civilibus caussis que daretur in Curia prefati Potestatis Montoni, et quocumque gravamine, sibi civiliter, aut criminaliter illato cuilibet cujus interest liceat et possit petere consilium Sapientis si senserit se gravatum, et Potestas vel Vicarius ad petitionem cujuscumque petentis contra quem talem sententiam tulerit, vel gravamen fuerit, teneatur dictam petitionem admittere, et talem sententiam, seu gravamen super quod petitum fuerit committere alicui sapienti, seu juris perito viro partibus non suspecto expensis partis petentis, et demum partis perdentis. Et interim donec dictum Consilium subscriptum manu talis Consultoris ejusque sigillo sigillatum representabitur coram Potestate predicto, vel ejus Vicario dictus condemnatus, seu male gravatus non possit in aliquo molestari, et salarium Consultoris non possit excedere summam unius Floreni. Quod Consilium quilibet Officialis teneatur admittere, et observare facere prout in dicto Consilio continebitur pena 25. librarum denariorum, de suo salario retinendorum tempore sui Sindacatus. Et in causa qua semel petitum et presentatum fuerit dictum consilium amplius peti nec concedi possit, que quomodo subdicta pena et si admitteretur non valeat, sed sit ipso jure nullum, et nullius valoris, roboris, vel momenti.

De Rogitibus Notariorum Defunctorum, et assimilatione Scripturarum. Rub.a 23.

Item statuimus, et ordinamus quod omnes, et singuli contractus, et rogita sub quacumque forma scripta reperi-

antur manu propria Notariorum Defunctorum facta prima assimilatio literarum: videlicet quod dicti contractus et rogita scripta fuerint manu . . . .
cujus manus asserebatur fore . . . . . . valeant et teneant pleno jure, ac si essent juribus necessariis dicta rogita sive contractus roborati, et dicta assimilatio fiat, et fieri debeat per duos bonos, et legales . . . per Dnos Sex de regimine dicte Terre vel dominum Potestatem eligendos dummodo in predictis, et quolibet predictorum semper legittime citetur pars adversa.

Qualiter detur copia Instrumenti sine Protocolli. Rub.a 24.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis debitor peteret copiam alicujus Instrumenti Petitionis, narrationis, sive Libelli . . . Potestas vel Vicarius sibi dare faciat, ac etiam det sibi terminum ad opponendum prout ei videbitur de Jure convenire, et si debitor qui talem copiam petierit esset persona suspecta, aut non esset idonea ad solvendum antequam detur sibi dicta copia teneatur deponere summam sibi petitam, aut prestare Idoneum fidejussorem de Judicio sisti, et indicatum solvendo si petitum fuerit per suum creditorem, aliter detineatur in palatio dicti Comunis, seu carceribus ad petitionem sui Creditoris donec sibi fuerit cautum vel satisfactum.

De Rebus venditis, Depositis, mutuatis, et promissis. Rub.a 25.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas predictus, et ejus Vicarius, teneatur, et debeat de rebus venditis, emptis, depositis, mutuatis, vel promissis a viginti solidis infra statim . . . ad petitionem Creditoris inventa . . . veritate omni appellationi.

Quod nulla Mulier possit in Palatio pro Debito detineri
Rub.a 26.

Item statuimus, et ordinamus, pro honestate Dominorum quod nulla Mulier possit personaliter pro aliquo debito in palatio dicti Comunis detineri, possit tamen detineri in aliqua Ecclesia si placuerit Potestati, vel Vicario, et si erit persona suspecta, vel non esset sufficiens ad solvendum, et non prestiterit idoneam Fidejussionem de solvendo, possit, et debeat carcerari in locis honestis ad petionem dicti sui Creditoris.

De non cogendis Fidejussoribus.
Rub.a 27.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas, vel Vicarius non possit, nec debeat aliquem Fidejussorem, vel principaliter alteri obbligatum cogere ad solvendum alicui Creditori aliquam quantitatem pecunie, nec aliquid aliud si principalis fuerit idoneus ad solvendum. Et intelligatur fidejussor quilibet qui habet instrumentum conservationis, indemnitatis, et non alius non obstante si aliter probaretur quod instrumenta, que probatio admitti non debeat, et quod presens statutum non vindicet sibi locum in illis qui fecerint aliquam promissionem Comuni dicte Terre vel officiali ipsius pro dicto Comuni recipienti in quo casu fidejussores principales possint cogi, et costringi.

De cogendo principales ad petitionem Fidejussorum
Rub.a 28.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas, vel Vicarius teneatur, et debeat cogere principales ad petitionem eorum fidejussoris ad extrahendum, et disobbligandum, et conservandum fidejussores, et eorum bona indemnis, et indemnia non obstante quod diceretur, quod diu steterit in obbligatione, et ad faciendum refici omnia, et singula damna, et expensas, ac interesse

quem dicti fidejussores incurrissent, vel sustulissent dicta de causa aliquo capitulo non obstante, et hoc intelligantur in qualibet fidejussione.

De Sequestrationibus.
Rub.a 29.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas teneatur, et debeat sequestrari facere ad petitionem creditoris, bona, res, et pecuniam suo debitori, et si res sequestrate erunt apud personas suspectas, debeat ipsas res, et pecuniam deponi facere apud fidam, et idoneam personam, et eidem precipere quod ipsas res, et pecuniam nemini tradat sine licentia Potestatis, vel ejus Vicarii, usque ad agnitum jus ipsarum partium, ad penam centum solidorum denariorum, et valoris rei sequestrate.

Qualiter cogantur Creditores ad faciendam refutationem Debitoribus. Rub.a 30.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas vel Vicarius teneatur, et debeat vinculo juramenti cogere creditores ad faciendam refutationem suis debitoribus postquam eisdem fuerit integre satisfactum, et ad restituendum principalia instrumenta cassa, et cancellata dictis Debitoribus dummodo debitor satisfecerit suo Creditori de tota quantitate, et de expensis legitimis, quas dictus creditor fecerit occasione dicti debiti.

De Instrumentis ex promissionibus occasione Ludi. Rub.a 31.

Item statuimus, et ordinamus, quod si aliquis fecerit alicui aliquam promissionem, vel obligationem cum instrumento, vel sine, occasione ludi Taxillorum, vel alterius ludi, quia talis promissio vel obligatio non valeat, nec teneat ullo modo, dummodo probari debeat per duos testes idoneos quod talis promissio vel obligatio

facta fuerit occasione dicti Ludi non obstante quod in promissione vel instrumento apposita fuerit alia clausola: Et quod Potestas talia instrumenta et promissiones cassari faciat, et annullari ad petitionem petentis.

Quod Exbanniti non audiantur in civilibus nec in Criminalibus. Rub.a 32.

Item statuimus et ordinamus quod nullus exbannitus pro aliquo maleficio, seu damno dato, donec non fuerit rebannitus, vel saltem solverit dictam ejus condemnationem per Comune Montoni, et Officiales dicte Terre in civilibus, et criminalibus non audiatur, et quicumque offenderit talem exbannitum durante tempore sui banni nullam penam solvere teneatur.

De Causis Summariis, et Extraordinariis. Rub.a 33.

Item statuimus, et ordinamus quod in questionibus non excedentibus summam decem librarum, vel rei tantum valentis, et abinde infra procedatur sine libelli oblatione, et sufficiat citatio facta verbo per nuntium, sine cedula, et in eis procedatur summarie sine strepitu forma, et figura judicii omni solemnitate juris cessante definire, et decidere arbitrio potestatis, vel Vicarii, et omnis dilatio sit arbitrio dicti Domini Potestatis concedenda, et possit dare juramentum uni parti, cui sibi Potestati videbitur, considerata conditione personarum, et pro quantitate viginti solidorum denariorum, et per Juramentum finiri, et terminare. Ab inde vero supra usque ad decem libras denariorum, possit Potestas decidere, et definire per juramentum cum sempiterna probatione, vel alio justo judicio nisi per testes vel instrumentum aliqua pars docere vellet de jure suo, et possit in dictis causis procedi omni tempore, etiam feriato in honorem Dei, exceptis diebus dominicalibus, et Apostolorum, S. Marie Virginis, et diebus Paschalibus, et

teneatur dictus Potestas dictas causas terminare infra unum mensem incipiendum a die prime citationis pena decem librarum Denariorum predicto Potestati si negligens fuerit in condemnando, et a pronuntiationibus seu preceptis de decem libris ab inde infra non possit appellari, ad de nullitate dici, nec in dictis causis peti possit consilium, vel colloquium Sapientis, si videbitur dicto Potestati posse sine consilio ipso.

De Feriis

Rub.° 32.

Item statuimus, et ordinamus quod Ferie Estatis sive messium sint incipiant, et observentur a Calendis Mensis Iulii, usque ad Festum S. Marie de Mense Augusti. Ferie vero vindemiarum incipiant, et observentur a die Feste S. Angeli de Mense Septembris usque ad diem 20. Mensis Octobris.

Item alie Ferie sint diebus infrascriptis:

De Mense Ianuarii. Prima die Circumcisionis. Dies Epiphanie que est dies 6. Festum S. Antonii que est dies 17. Conversio S. Pauli que est dies 25.

De Mense Februarii. Festum Purificationis Marie Virginis que est dies secunda. Festum Cathedre S. Petri que est dies 22. Festum S. Matthie Ap. que est dies 24. dicti Mensis.

De Mense Martii. Festum S. Gregorii, et Festum Annuntiationis Beate Marie Virginis 25.

De Mense Maii. Festum SS. Philippi, et Iacobi die prima. Festum Inventionis S. Crucis, que est die 3. Festum S. Ioannis, et Apparitionis S. Michaelis Arcangeli.

Rogationes per dies tres ante Ascensionem D. N. Iesu Christi, in quibus non redditur Ius ut infra in seq. pag.

De Mense Iunii. Festum S. Barnabei die 11. Vigilia, et Festum S. Ioannis Baptiste die 24. Nativitas SS. Apostolorum Petri et Pauli die 29. dicti Mensis.

De Mense Julii. Festum S. Mariæ Magdalenæ. Festum S. Jacobi Apostoli.

De Mense Augusti. Festum S. Laurentii die 10. Festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis die 15. Festum S. Bartholomei Apost. die 24. Festum Decollationis S. Joannis Baptistæ die 29. dicti Mensis.

De Mense Septembris. Festum Nativitatis S. Mariæ Virginis die 8. Festum Exaltationis S. Crucis die 14. Festum S. Mathei Apost. et Evang. die 21. Festum Dedicationis S. Michaelis Arcangeli.

De Mense Octobris. Festum S. Francisci die 4. Festum Sancti Lucæ Evangelistæ die 19. Festum Apostolorum Simonis et Judæ die 28.

De Mense Novembris. Festum Omnium Sanctorum die 1.ma cum die sequenti propter Officium Mortuorum. Festum S. Martini Episcopi, et Confessoris die 11. Festum S. Catherinæ die 25. Festum S. Andreæ Apostoli die ultima.

De Mense Decembris. Festum Conceptionis Beatæ Mariæ Virg. die 8. Festum S. Luciæ die 13. Festum S. Thomæ Apostoli die 21. Vigiliæ Nativitatis D. N. Jesu Christi die 24. Festum Nativitatis ejusdem D. N. Jesu Christi die 25. Festum S. Stephani die 26. Festum S. Joannis Evangelistæ die 27. cum aliis diebus sequentibus usque ad Calendas Januarii.

Item sint, et esse intelligantur Feriali omnes dies Dominicales, et omnes dies Veneris, dies Paschatis Resurrectionis D. N. Jesu Christi cum septem diebus precedentibus, et septem sequentibus. Item tres dies Rogationum, dies Ascensionis Dni N. Jesu Christi. Item Pascha Pentecostis cum duobus diebus sequentibus. Item Festum Corporis Christi. In quibus diebus omnibus supra descriptis sint, et esse intelligantur feriæ, et dies Feriales in quibus nullum jus in causis civilibus retinentur, quæ excederent summam decem librarum denariorum. Ab inde vero infra procedatur prout superius in proximo precedenti Statuto continetur, et maxime

pro adjutorio, et rebus commestibilibus, et potabilibus pro pretio datis, et que contra presens et proximum dictum Statutum fierent non valeant immo sint ipso jure nulla, et nullius roboris.

In Maleficiis vero sint et intelligantur esse dies Feriali omnes dies Paschales, Dominicales, et omnes dies Festivitatum D. N. Jesu Christi, et Beate Marie Virginis ejus Matris, et omnium Apostolorum, et Evangelistarum. Volumus insuper quod in diebus Quadragesimalibus sedere debeat Potestas ad jus reddendum semel tantum in die: videlicet vel de mane, vel de sero prout eidem Potestati comodius videbitur.

De petito, Consilio Sapientis dando
Rub.a 35.

Item statuimus, et ordinamus quod in causis ordinariis a decem libris denariorum supra ante litem contestatam, vel pronuntiatam pro contestata, peti non possit consilium Sapientis, sed post possit tamen semel, aut bis, aut plus peti pro qualibet parte, et non ultra, nec Potestas possit ultra predictam formam concedere ullo modo. Et si contingat peti consilium predictum debeat peti infra unum mensem a die contestationis litis computandum, et si ultra dictum mensem peteretur, Potestas possit licite denegare nec ab hoc possit appellari, et petito Consilio Sapientis statim Potestas faciat deponi competens Salarium ab utraque parte, vel a petente prout videbitur Potestati, et faciat produci Scripturas, et acta, et Consultorum confidatum eligi si in uno concordabat, alias eligatur per Dominum Potestatem, quo consilio petito, Potestas in causa nullatenus procedere possit, immo ipso recepto teneatur pronuntiare secundum formam Consilii redditi in Causa per Consultorem.

De Procuratoribus dandis petentibus
Rub.a 36.

Item statuimus et ordinamus quod dictus Potestas teneatur da-

re Procuratorem illum quem petterit sibi quis dari expensis et Salario petentis, competenti tamen salario, super quo si erunt concordes, stetur eorum concordie, si non arbitrio Potestatis declaretur ejus salarium. Qui potestas teneatur, et debeat cogere rialiter, et personaliter illum qui fuerit petitus Procurator quod dictum Officium procurationis acceptet, et exerceat pro petente. Item dicimus statuentes quod apponi non possit, quod aliquis Procurator constitutus non sit legitime relevatus, que exceptio per Potestatem admitti non possit nec debeat, et admissa non habeat effectum.

Quod non reddatur Jus non solventibus Datia.

Rub.° 37.

Item statuimus, et ordinamus quod nulli de Terra Montoni, vel ejus curia, qui non esset positus in libra, vel appasatu, vel Catastu Comunis, vel non solverit datia, et collectas Jus in civilibus caussis non reddatur per aliquem officialem dicte Terre, et nullus pro eis, vel aliquo ipsorum possit aliquod alegare, dicere, vel procurare pena Officiali, Avocato, vel Procuratori librarum 25. denariorum qui contrafecerit in predictis. Et hoc Capitulum non prejudicet illis qui haberent Patrem, Matrem, Fratrem, vel Sororem habentem libram, vel appasatum, et insimul habitarent. Et mulieribus, nec forensibus litigantibus. Nec illis quibus per Statuta, vel reformationes, concederentur immunitates de non solvendo, et hoc Capitulum primo Mense regiminis Potestatis pubblice banniatur.

De Exbannitis pro debito rebanniendis.

Rub.° 38.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliqua persona fuerit exbannita pro debito, et satisfactione debitorum pro quo fuerit exbannita ad ei petitionem debeat rebanniri, et pro rebannita habeatur suo creditori de debito integre satisfacto ad cujus

debiti satisfactionem stetur in hac parte Iuramento Creditoris qui talem personam fecerit exbanniri.

De Tutoribus, et Curatoribus dandis.

Rub.a 39.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas dicte Terre possit dare Tutores, et Curatores, et actores in emancipationibus et inventariis, et instrumentis, aliisque scripturis quibuscumque hinc in posterum faciendis suam, et Comunis dicte Terre auctoritatem interponere et decretum. Et que per Potestatem in predictis, et circa predicta, et quelibet predictorum fierent, valeant et teneant, ac si per quemlibet Iurisdictionem habentem facta forent, et aliter facta non teneant, nec valeant ullo modo.

Quod Tutores, et Curatores reddant Administrationem.

Rub.a 40.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis est, vel fuerit Tutor alicujus Pupilli, vel pupillo, seu aliquorum Pupillorum dicte Terre Montoni, et sue Curie, et aliquis consanguineus vel affinis pupillorum peteret rationem administrationis bonorum, et rerum ipsorum reddere teneatur dictus Tutor, ~~et~~ ei vel eis facere rationem administrationis semel in anno, et preferatur Mater omnibus aliis, in administrationis ratione, et proxime consanguinei ex parte patris intersint, si voluerint, et si Tutor predicte non fecerit in 25. libris denariorum per dictum Potestatem condemnetur, et nihilominus predicta facere teneatur, et per Potestatem compellatur non obstante aliqua prescriptione longi temporis, vel longissimi, et si inventus fuerit in aliquo pupillorum fraudem commisisse a Tutela removeatur, et detur primo Matri si extat, et erit de jure, et etate legittima secundo avo, vel avie; Tertio proximioribus consanguineis, vel idoneoribus secundum electionem, et voluntatem aliorum consanguineorum talium pupillorum, vel secundum quod jura voluerint. Qui

Tutor, seu Tutrix teneatur reddere rationem administrationis consanguineis pupilli, et Potestas teneatur fieri facere, et observare quicquid petitur a predictis in utilitatem pupillorum, et cogere Tutorem, vel Tutricem ad faciendum dare Inventarium exemplatum predictis, vel alteri eorum, qui petierint infra unum mensem expensis pupilli postquam fuerit petitum. Teneatur etiam Tutor, vel Tutrix inventarium reddere pupillo, vel adultis et eis reddere rationem, ut supra dictum est, et reliqua restituere infra octo dies post redditam rationem. Quę si non fecerit Potestas ei vel eis auferat dictam penam et nihilominus ipsos cogat ad faciendum predicta. Teneantur etiam pupilli vel adulti post redditam rationem a Tutoribus, vel Curatoribus eis plenissimam cautionem, finem, et quietationem et pactum de ulterius non petendo facere ad petitionem Tutorum, vel Curatorum, vel hęredum eorum omnibus expensis pupilli, vel adulti infra tertiam diem post redditam rationem et si facere recusaverit teneatur Potestas ipsos pupillos vel adultos ad predicta omnia cogere cum effectu. Et si Potestas negligens fuerit in predictis, et predicta fieri non fecerit perdat de suo Salario libras 25. denariorum in quibus condemnetur tempore sui sindacatus. Et si casu fortuito propter discordiam habitantium in dicta Terra, et ejus Curia Tutor Tutelam exercere non possit, aut potuit, Tutor non teneatur, ut ad eum de Iure spectat periculum administrationis non factę, et non gestę. Item dicimus statuentes quod Curatores et Curatores teneantur facere inventarium infra tempora a jure constituta de omnibus bonis, et rebus pupillorum, vel adultorum nisi remissum fuerit specialiter a Testatore pena 25. librarum denariorum. . . .

intelligatur . . . . . . curatoribus . . .

. . . Et quod nullus Tutor, vel Curator ad negotia du-

rante tempore eorum administrationis, vel etiam post audeat, vel presumat dispensare, vel maritare aliquam pupillam vel adultam, vel alicui pupillo, vel adulto dare aliquam uxorem vel sponsam sine presentia, et consensu ad minus duorum proximorum Consanguineorum: videlicet antequam liberatus fuerit, et absolutus a sue administrationis ratione. Et si Tutor, vel Curator maritaverit, vel desponsaverit, aut uxorem vel sponsam dederit, aut consenserit, aut operatur fuerit quod Pupilla, vel Adulta ante redditam rationem administrationis et liberationem, et absolutionem ipsius maritaretur, aut pupillus, vel adultus uxorem ceperit condemnetur in libr. quinquaginta denariorum sine aliqua detractione.

De Responsione facienda Positionibus

Rub.ª 41.

Item statuimus, et ordinamus quod quando contigerit aliquem respondere simpliciter super aliquibus positionibus respondens teneatur respondere simpliciter sine aliqua obscuritate, vel ambiguitate alias haberetur pro non responso, et si pars que faceret positiones vellet quod Advocatus vel Procurator respondentis removeretur Potestas teneatur mandare tali advocato, vel Procuratori, et eos cogere quod debeant inde recedere sub pena ejus arbitrio auferenda, et quando aliquis interrogetur de facto suo debeat statim respondere. Si vero de facto alterius debeat ei statim terminum dare ad deliberandum si petierit.

De Testibus cogendis.

Rub.ª 42.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas teneatur omnes, et singulos homines, et personas sue jurisdictionis quos aliquis in suos Testes induxerit in causa quam haberet in ejus Curia compellere qui non prohibentur testimonium peribere a quo testimonio non repellatur Frater Consubrinus contra Consobrinum

Nepos contra patruum, vel avunculum, sed possint compelli, et in testes dari si qua partium eos inducere voluerit, et omnes qui amicabiliter causam aliquam habuerint definire si petitum fuerit possint, et debeant in testes recipi, et si aliquis fuerit requisitus a potestate ut testimonium veniat perhibere, vel ab ejus Vicario, et non venerit in termino sibi assignato Potestas possit eum mulctare, et condemnare usque in libras decem denariorum, nisi justam habuerint excusationem, et nihilominus ipsum testem cogant ad dictum Testimonium perhibendum.

Quod non producantur ultra decem Testes.

Rub.ª 43.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas non permittat aliquam inducere ultra decem Testes in aliquo articulo causa que coram eo, vel ejus Vicario fuerit. Quicumque vero voluerit aliquos testes inducere in aliqua questione vel causa criminali coram potestate dicte Terre teneatur prestare idoneam cautionem de rapresentando ipsos Testes ad voluntatem ipsius.

De Etate Filiorum probanda.

Rub.ª 44.

Item statuimus, et ordinamus quod etas filiorum probetur per Sacramentum Patris, vel Matris, vel alterius, si aliter probari non possit. Item probari possit per Sacramentum avi, vel avie. Dicimus etiam in dictis casibus, quod alteri parti contra quam etas probatur per Patrem, vel Matrem, avum, vel aviam, seu alterum ipsorum, liceat contra eos, vel eorum dicta probare majorem, vel minorem etatem, per tres idoneos Testes ad minus et si probatum fuerit contra Sacramentum Patris vel Matris, avi, vel avie, seu alterius ipsorum puniatur ille qui tale Sacramentum fecit in libris 25. denariorum sine aliqua diminutione.

De Novo Opere faciendo
Rub.ca 45.

Item statuimus, et ordinamus quod cum facta fuerit novi operis nunciatio, statim edificans, et novum opus faciens debeat dictum opus relaxare, et infra duos dies a die dicte nunciationis facte ambe dicte partes teneantur, et debeant cum earum juribus comparere coram Potestate dicte Terre, et ejus Curia. Qui Potestas statim debeat habere unum hominem per portam ipsius Terre: videlicet tres super tali re praticos, et idoneos ad cognoscendum tale opus, et talem differentiam terminandum una cum dicto Potestate, vel ejus Vicario, qui teneatur ire ad locum dicti novi operis, et infra octo dies terminare dictam litem de jure, et de facto, prout eis videbitur sub pena 25. librarum denariorum a quolibet exigenda et dicto comuni solvenda cui terminationi sententie procurationi, et declarationi, dicte partes obedire teneantur, nec appellare possint, et si qua ipsarum contravenerit solvat de facto in dicto Comuni libras quinquaginta denariorum sine aliqua detractione.

De Preceptis, Sententiis, et Pronunciationibus exequendis.
Rub.ca 46.

Item statuimus, et ordinamus quod omnes Sententie, Precepta, Pronunciationes latas per Potestatem dicte Terre post lapsum terminum decem dierum computandum a die prolationis ipsarum, sive ipsorum, Potestas exequatur de facto realiter, et personaliter dando omni tempore executorem infra decem dies, post quam petitum fuerit, dummodo non pendeant per appellationem vel per petitionem restitutionis in integrum vel nullitatis, sed transiverit in rem judicatam. Et quoties Potestas predicta facere causaverit toties perdat de suo Salario lib. 25. denariorum in quibus ad petitionem cujuscumque conquerentis, ejus Sindacatores tempore sui Sindacatus condemnare, et ejus condemnationem

exigere teneantur. Que precepta Sententie, et Procurationes exequantur, et exequi possint diebus feriatis, et non feriatis contra quascumque personas.

De Precepto Guarentigie
Rub.a 47.

Item statuimus, et ordinamus quod Notarii Terre Montoni, et ejus Curie, et etiam Forenses qui rogaverint aliqua instrumenta in dicta Terra, vel ejus Curia, teneantur, et debeant ponere in iis instrumentis precepta Guarentigie debitoribus, vel aliquibus promittentibus, quo termino, et terminis in eo contentis, observent ea, que in ipsis instrumentis continentur sub quacumque perceptione verborum congrua. Et dictum preceptum habeat vim sententie, et confessionis, et Potestas qui in hoc habet jurisdictionem pro Comuni dicte Terre teneatur, et debeat facere observare omnia et singula que in ipsis instrumentis Guarentigie continentur ad petitionem Creditoris, vel suorum heredum, vel jura sua habentis contra principales Debitores, vel eorum heredes, et successores, et etiam eorum fidejussores per captionem personalem, et realem, prout Creditori, vel habenti jura ab eo, vel suis heredibus placuerit infra decem dies continuos postquam petitum fuerit executioni mandari. Et debeat fieri citatio hoc modo ad petitionem Creditoris. Citatur Debitor vel ejus heredes ex parte Potestatis dicte Terre, quatenus infra decem dies continuos, vel pauciores, ut videbitur Potestati compareat ad opponendum, et probandum exceptiones Solutionis vel satisfactionis, vel falsitatis, et nullitatis. Que exceptiones tantum debeant et possint opponi contra tale preceptum Guarentigie, et debeant, et possint per confessionem partis probari, vel per rogitum Cancellatum, vel per instrumentum finitionis, vel quietationis, vel per pactum de non petendo in perpetuum, vel ad tempus, vel saltem per duos Testes idoneos, contra quod preceptum Guarentigie non possit opponi nec pro-

bari aliqua alia exceptio. Quibus decem diebus, vel minori termino elapsis, si non fuerint opposite vel probate dicte exceptiones vel alique earum ad petitionem Creditorum, vel eorum heredum vel jus habentium ab eis Potestas sine aliqua citatione de novo facienda de Reo, teneatur, et debeat de facto tale preceptum guarentigie executioni mandare in sorte, et expensis, et in omnibus, et singulis premissis realiter, et personaliter contra debitores vel eorum heredes, et successores, et facta executione personali possit redire ad realem, et e converso usque ad integram satisfactionem, et detineatur debitor in carceribus Comunis quousque fuerit satisfactum suo Creditori de sorte, et expensis ad voluntatem Creditoris, et pro executione facienda Potestas teneatur et debeat ad petitionem petentis committere Notario, et birruariis executionem ad penam 25. librar. denar. pro quolibet debitore, et qualibet vice. Et debeant habere dicti birruarii pro eorum Salario in Terra solidos quinque denariorum pro qualibet executione, et extra Terram solidos decem denariorum, et si non compareant, et nec captum ducerent debitorem coram dicto Potestate, nihil habere debeant. Item dicimus quod nullus possit appellare a pronunciatione, perceptione, vel exequtione guarentigie, nec ab aliquo precepto guarentigie, et si aliquis appellaverit non audiatur, sed condemnetur in lib: 10. denariorum quilibet appellans, et qualibet vice. Item quod Potestas non possit nec debeat habere aliquod consilium Sapientis, vel colloquium super aliquo processu guarentitiato pena 25. libr. den. pro quolibet, et qualibet vice, et debitor qui captus fuerit, et detentus non possit aliquem contractum facere cum creditore, vel aliquo pro eo, quousque fuerit detentus sine presentia Dni Potestatis, vel ejus Vicarii, et consensu duorum idoneorum consanguineorum dicti debitoris, et si factus fuerit presumatur metu, dolo, vel fraude factus, et non valeat ipso jure. Item quod nullus potestas possit cassare, vel irritare, aut pro irrito haberi

pronuntiare, nisi fuerint opposite, et probate dicte exceptiones vel aliqua earum, et si cassaverit, pronuntiaverit, vel irritaverit contra dictum modum, talis cassatio, irritatio, vel pronutiatio non valeat ipso jure. Et nihilominus tale preceptum Guarentigie debeat executioni mandare. Item quod Potestas predictus in pronuntiatione debeat recipere juramentum ab eo qui petit executionem instrumenti guarentigie, quia est vere creditor in quantitate petita, et quia sibi satisfactum non est in totum, vel in partem. Item dicimus Statuentes quod hoc Capitulum guarentigie in omnibus, et singulis suis partibus, habeat locum in omnibus instrumentis, et preceptis guarentigie factis, et celebratis in dicta Terra, vel ejus Curia tam scriptis per quemcumque Notarium Instrumentis vero, et preceptis guarentigie factis extra dictam Terram, vel Comitatum rogatis per quemcumque Notarium.

Videlicet quod exequantur.

talis forensis exequuntur talia instrumenta ad petitionem Montonensium, Pro hominibus nostris vero contra forenses observetur hoc capitulum in omni parte sui in quocumque fuerit celebratus contractus guarentigie, et per quemcumque Notarium. Instrumentis vero guarentigie factis inter forenses, extra dictam terram, et Curiam ejus non habeat locum hoc Capitulum, sed solum servetur jus comune. Et contenta in supradicto Capitulo serventur Instrumentis guarantitie que de se liquida apparent. In aliis vero de se liquidis non apparentibus procedatur modo, et forma predictis dummodo executio non fiat nisi primo liquidetur, et probetur, salvo quod si aliquis tamquam heres patris, Matris, Avi, vel avie, fratris, sororis, filii, vel filie peteret aliquod Instrumentum guarentigie executioni mandari et reus fuerit contumax. Potestas absque aliqua liquidatione mortis vel successionis debeat pronuntiare executionem fiendam.

Et si dictus petens executionem repertus fuerit in mendacio condemnetur in 25. lib: denar: si fuerit ipse principalis debitor cum quo fuerit facta solutio, vel quietatio, et talis pronunciatio executionis non valeat ipso jure. Item dicimus quod scripturis privatis manu cujuscumque persone scriptis et factis in quibus contineatur ille qui scripsit se aliquid promisisse alicui dare vel facere cum causa et nominibus duorum Testium ad minus scriptorum in quibus etiam reperiantur Anni Domini, Menses, ac dies talibus scripturis et appoditis detur, et dari debeat plena fides, ac si talis scriptura esset publicum Instrumentum quarentigie scriptum manu publici, et fidedigni Notarii. Et quod dicte scripture private mandentur executioni realiter et personaliter ac si esset publicum instrumentum quarentigie. Et hec locum habeant in personis que possunt de jure, et secundum formam Statutorum legittime obbligari, et non in aliis.

De Arbitriis, et Laudis

Rub.ca 48.

Item statuimus, et ordinamus quod Lauda, et Arbitria data facta per aliquam personam in qua partes compromiserint Potestas firma, et rata teneat, et teneri, et teneri faciat id definitum et laudatum fuerit super iis de quibus fuerit compromissum definire, et pronuntiare nollent inter partes. Potestas viso compromisso, et habita fide a partibus compellat ipsum vel ipsos arbitros, ut concordent, et definiant questiones cum fuerint ab aliqua parte requisitus infra 30. dies, postquam fuerit ei vel eis praeceptum a Potestate sub pena centum solidorum denariorum cuilibet arbitrorum, vel Arbitratorum. Et si predicti Arbitri non se concordaverint vel intra dictos triginta dies non preceperint de his, que fuerint in eis compromissum secundum preceptum eis factum solvant dictam penam nisi justa causa fuerint impediti, et excusati, et nihilominus cogantur stare in uno loco,

sine potu, et cibo donec precesserint, et laudaverint inter partes predictas, et dicte partes etiam ad petitionem arbitrorum. Simili modo sint constricte per Potestatem que tantum stent constricte quantum eorum arbitrii vel cogantur dicte partes eligere, et dare dictis Arbitris, et arbitratoribus unum hominem pro tertio Arbitro hoc modo eligendum: videlicet quod quelibet dictarum partium in secreto teneatur dare Potestati confidatos eorum, et si utraque pars concordabantur in dando confidatos in unum, utrique parti confidatum ille sit electus, et datus pro tertio, et si plures essent confidati unus ex ipsis idoneorum eligatur, et detur in tertium: et si partes non concordaverint, eligatur per Potestatem dictus tertius, et si in laudando unus ex ipsis arbitris, et tertio erunt concordes, et laudaverint eorum Laudum, et arbitramentum valeat, et teneat, et executioni mandetur, ac si concorditer Laudatum, et laudatum fuerit, ac sententiatum concorditer, et per omnes ipsos tres. Item quod compromissum daret per triginta dies a die quo factum fuerit Arbitris juramentum per Potestatem, et juratum fuerit per ipsos computandos. Post vero dictos 30. dies elapsos omne compromissum expirasse intelligatur ipso jure, et Arbitri non laudantes puniantur in dicta pena. Et si laudum aliquod sequeretur ex dictis compromissis sic expiratis non valeat ullo modo. Et si in aliquo compromisso jam facto, vel fiendo reperiatur comprehensum quod Arbitri possint semel vel pluries laudare, et quoties opus fuerit, et similia non possint preterea nisi semel laudare, et laudum fare infra dictum terminum ex unico tandem compromisso, et compromissum ex cujus vigore jam sit vel erit in posterum semel laudatum intelligatur, et intelligi debeat quoad hoc ut amplius laudari non possit, non obstante quod Arbitri sibi ultra laudi Potestatem reservaverint, vel in posterum reservabunt.

Item dicimus statuentes quod si aliqua lis vel questio

oriretur inter consanguineos, conjunctos, vel affines ad petitionem cujuscumque consanguinei, conjuncti vel affinis petentis, teneatur, et debeat Dnus Potestas de facto compellere litigantes predictos sub pena eis per Potestatem imponenda, et auferenda ad compromittendum ipsorum litem et controversiam in aliquem, vel aliquos consanguineos, agnatos, cognatos, vel Affines utrique ipsorum partium attinentes. Si vero litigantes essent affines, tunc quilibet eorum possit eligere suum consanguineum in Arbitrum, licet non sit consanguineus utriusque. Et quod laudatum fuerit per talem, vel tales arbitros per dictum Potestatem executioni mandetur sicut in laudo continetur, nulla contradictione obstante. Et ille talis, vel tales in quem, vel quos fuerit compromissum, nisi ratione absentie, vel infirmitatis evidenter fuerint impediti nullatenus se valeant excusare. Et que dicta sunt supra proxime non vindicent sibi locum in instrumentis guarentigie et aliis instrumentis, que clara, et liquida sunt de per se, nec in fidejussoribus quibuscumque, et quacumque de causa, et in casu quo appellaretur ab aliqua laude, seu peteretur reduci ad Arbitrium boni viri, teneatur, et debeat appellare, vel petere dictam reductionem ad arbitrium boni viri infra decem dies a die scientie tali laudi, vel Arbitrii alias non audiatur, et dictam causam appellationis, vel reductionis ad Arbitrium boni viri infra viginti dies proxime subsequentes a die interpositionis talis appellationis, vel dicte petitionis recursus teneatur talis appellans facere terminare in quibus causis possit cognosci, et terminari etiam tempore feriato messium, vindemiarum, et in honorem Dei non obstantibus quibuscumque. Quod si decidi, et terminari non fecerint infra dictum terminum Laudum, seu Arbitramentum firmum remaneat, et plenam obtineat roboris firmitatem, et contra dictum laudum, vel arbitramentum nihil possit excipi, vel opponi.

De executione sententiarum, et Laudum
Rub.ª 49.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas dicte Terre Montoni teneatur, et debeat executioni mandare omnes, et singulas sententias, precepta, arbitria, et arbitramenta realiter, et personaliter prout jacet, et quod Potestas predictus, vel alius Officialis non possit cogere Arbiter, vel Arbitratores, seu Arbitramentatores arbitrari contra formam compromissi, et si contrafactum fuerit non valeat ipso jure, et perdat Potestas, vel alius Officialis qui contrafecerit pro qualibet libr. denariorum ipsius cause de qua agitur solidos duos denariorum, et in dicta quantitate condemnetur pro tempore sui Sindacatus.

De Mercedibus scripturarum Banchi.
Rub.ª 50.

Item statuimus, et ordinamus quod Notarius Banche civilium accipiat de instrumentis et scripturis infrascriptas quantitates et non ultra ad penam centum solidorum denariorum pro quolibet, et qualibet vice quibus contrafecerit. In primis quidem accipiat de qualibet citatione fienda extense per quarentigiam ponenda . . . . . . denariorum duodecim, et si plures fuerint citati a primo sup. den. sex pro quolibet. de qualibet citatione fienda ad respondendum de jure sex den. Et si plures fuerint citati a primo, ultra duos den. De qualibet presentatione rei vel actoris den. sex. De citatione fienda ad tubam duos solidos den, et si plures fuerint citati a primo sup. pro qualibet sex den. De presentatione dicte citationis sex den. De qualibet citatione trium testium, et partis den. duodecim, et si plures fuerint a tribus supra pro quolibet den. duos de Juramento trium testium den. duodecim, abinde sup. pro rata, et abinde supra denarios duos pro quolibet de protestatione partis contra juramenta testium sex den. De licentia gravandi

testes, et partem ad respondendum super positionibus, et similibus pro qualibet den. quatuor. De aliis vero citationibus den. sex pro qualibet. De qualibet petitione consilii duos solidos den. De pronuntiatione executionis Guarentigie, et subscriptione Cedule, et tenuta, ad detentione a quinquaginta libris den. infra duos solidos den. Ab inde vero supra ultra dictos quinque solidos solidum unum den. Et si plures fuerint obligati contra quos pronuntiatum fuerit a primo supra pro qualibet sex denarios, et pro qualibet pronuntiatione interlocutoria sine petitione solidum unum. Si vero cum petitione solvantur ad rationem pronuntiationis Guarentigie. De petitione mittenda in quinternum pro qualibet latere duos solidos. De ablatione tenute rei mobilis ratione tenute den. octo, et si plures fuerint res mobiles ab una sup. denar. quatuor pro qualibet. De qualibet bannitione scribenda

den.

relatione bannitoris sex den. et si plures Scripture producte fuerint Notarius a

predicta supra

exceptionibus, replicationibus, duplicationibus, et aliis

pro qualibet latere quinque solidos denariorum.

De responsione positionibus una vel due pro qualibet den. quatuor, abinde vero supra pro qualibet den. duos. Pro confessatis solvat confitens, et pro rogatis ponens. De juramento estimatorum tenute duos solidos. De qualibet adjudicatione . . . .

Pro prima scriptura de qualibet sententia difinitiva a quinquaginta lib: infra solidos decem denariorum. Abinde vero supra

usque ad ducentas libras denariorum viginti solidos denariorum. Ab inde vero supra quantacumque fuerit quantitas quadraginta solidos denariorum pro prima sententia. De tenuta vero ex secundo decreto duos solidos, et si plures fuerint res a prima supra sex den. De contestatione litis, et juramento calumnie a qualibet parte unum solidum. De productione, et legitimatione procurationis unum solidum. De examine Testium pro quolibet, et qualibet quinque solidos. De secundis vero Scripturis quorumcumque actorum, et testium accipiantur soldi quatuor denariorum pro qualibet carta.

Quod alienator alicujus teneatur ad Defensionem Rei alienate. Rub.a 51.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliqua persona alienaverit aliquam rem mobilem, vel immobilem, vel semoventem, vel cesserit alicui aliqua jura, et illi cui facta fuerit alienatio, vel juris cessi molestaretur, vel ejus, vel ejus heredes aut successores universales, vel particulares molestarentur in re alienata, vel jure cesso, quia talis alienans, et jus cedens, et ejus heredes, et successores sequuta denuntiatione statim teneantur, et debeant judicium defensionis in se suscipere cum idoneo fidejussore, et ipsam rem, vel res alienatas, vel jus cessum legittime defendere omnibus suis sumptibus, salariis, et expensis, et ipsum in pace ponere cum quolibet molestante et si ille in quem facta fuerit aliqua alienatio, vel juris cessio vel ejus heredes, vel successores molestarentur non possint cogi ad respondendum libello, ad contestandum litem, nec ad jurandum de calumnia infra decem dies computandos a die qua nominaverit suum autorem in judicio, et petierit processum fieri contra ejus autorem, et compelli ad suscipiendum judicium defensionis in se. Et elapsis dictis decem diebus in causa procedatur, et Potestas coram quo fuerit petitum, teneatur et debeat compellere

talem alienantem et jura cedentem ad suscipiendum in se judicium defensionis per captionem personalem, et immissionem bonorum. Et si postquam pronuntiatum fuerit per Potestatem predictum talis auctor non susceperit in se judicium defensionis, possit talis in quem facta fuerit alienatio, vel juris cessio, accusare ejus auctorem, et accusatus condemnetur in libris viginti quinque denariorum. Possit tamen accusans dictum suum auctorem renuntiare tali accusationi quandocumq: ante sententiam solutis tamen per eum primo Camerario dicti Comunis libris quinque denariorum pro retractatione dicte accuse. Et si contigerit quod aliquis vendiderit vel alio quovis titulo lucrativo alienaverit aliquam rem jure proprio que reperiretur libellaria, vel emphiteotica quas venditor seu alienator, et ejus heredes, et successores teneantur eidem emptori, vel acquisitori facere, curare, ita et taliter cum effectu quod proprietarius eidem refirmet in tertiam generationem expensis vendentis, seu cedentis, et si alienaret titulo non lucrativo dicto alienanti nullum prejudicium seu damnum sequi possit.

et nihilominus det, et restituat

quartam partem pretii ipsius rei que vendita seu concessa fuerit.

et pro predictis, et quolibet ipsorum exequendis fiat, et fieri debeat executio realis, et personalis, et si Potestas fuerit negligens in predictis condemnetur tempore sui Sindacatus in libr. 25. denariorum, et nullus possit appellare ab aliqua pronuntiatione, sententia, vel gravamine, que vel quod fieret con eum occasione contentor.

in hoc Capitulo, et si appellaverit non audiatur appellans. Et predicta locum habeant ad presentia et futura.

Quod Uxor non possit se obbligare sine consensu viri, et Consanguineorum. Rub. 32.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla uxor alicujus de dicta terra Montoni, et ejus districtu constante Matrimonio possit se obligare, vel alicui suarum dotium juri vel hypotecę renuntiare nec contractum aliquem obligatorium facere sine presentia, et consensu Patris, si patrem habet, et sine consensu, et presentia mariti, et duorum proximorum consanguineorum presentium in dicta terra, vel ejus districtu. Si patrem non haberet, si vero dicti proximiores consanguinei fuerint absentes sine presentia, et consensu alterius conjuncti loco proximioris consanguinei absentis. Si vero maritus non fuerit in dicta Terra, vel ejus districtu, tunc citetur quod tertiam diem veniat ad contradicendum, quare dicta ejus uxor predicta facere non debeat, et si non venerit infra dictum terminum, tunc liceat tali uxori predicta facere, cum presentia, et consensu dictorum duorum proximorum, seu conjunctorum, et si aliter fieret id quod fecerit, non valeat ipso jure salvo quod quelibet uxor libera sine alicujus presentia vel consensu possit procuratorem facere, et constituere ad agendum, et defendendum.

Quod alimenta per filios Parentibus prestentur. Rub. 33.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis querimoniam deposuerit coram Potestate predicto dictę terrę de filio, vel filia, sive neptes ex filio quod ipsi sui filii, et filię vel nepotes prestent alimenta, Potestas predictus cogat ipsos filios, vel filias vel nepotes, ut prestent alimenta parentibus arbitrio dicti Potestatis, si ipsa persona quę posuerit querimoniam non habeat unde

se alat, vel gubernet, a quo precepto Potestatis non possit se appellari. Et eodem modo cogantur Parentes prestare alimenta filiis, et nepotibus.

De alimentis prestandis Mulieribus
Rub.a 54.

Item statuimus, et ordinamus quod D.nus Potestas ad quem fuerit recursum teneatur prestari facere alimenta alimenta condecentia cuilibet Mulieri cui dos aliqua debet solvi, vel soluta restitui, in totum, vel in partem, pro toto vel parte non soluta, vel non restituta, licet Mulier cui deberet restitui ad alia transiverit vota, quousque soluta, vel restituta non fuerit ad rationem octo pro centenario dotis pro quolibet anno compellendo debitorem vel debitores solvere, et reddere, et eorum successores realiter, et personaliter, et omni via, et modo prout dicto Potestati cui debitor summarie, et sine omni strepitu, figura judicii, alimenta dare, solvere, et prestare, et omni tempore feriato, et non feriato non obstante aliquo Capitulo hujus Statuti, vel alio aliquo ordinamento quod in contrarium modo aliquo loqueretur. Et predicta locum habeant ad presentia, et futura.

Quod se obligantes, et fidejubentes conserventur idemnes. Rub.a 55.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis fidejusserit pro aliquo mandante, vel presente, et non contradicente, vel principaliter se obligaverit pro aliquo possit petere se obligari a tali fidejussione principalitatis, vel obligatione quandocumque voluerit etiam antequam aliquid de suo solverit, vel aliquod damnum sustinuerit, et teneatur facere citari reum pro quo obligaverit se: quod inde ad tertiam diem debeat comparere coram Potestate predicto ad extrahendum, et disobligandum, et indemnem conservandum ipsum

a tali fidejussione, et principalitatis obligatione. Et si talis negaverit fidejussionem principalitatis, vel obbligationem fuisse factam pro eo posit probari per unum testem bone fame vel per instrumentum publicum, vel per illum ad quem fecerit talem fidejussionem, et obbligationem, et per juramentum fidejussoris. Et si ille pro quo facta erat, esset talis obbligatio, et fidejussio non comparuerit infra terminum, sed fuerit contumax, vel si comparuerit, et probatum fuerit per aliquem de supradictis modis, vel per confessionem ipsius, tunc Potestas, vel alius Officialis qui in hac jurisdictionem haberet, teneatur, et debeat statuere terminum tali reo decem dierum ad disobbligandum, et indemnem conservandum talem fidejussorem, et obbligatum, nisi sit fugitivus, tunc et eo casu detineatur personaliter, et non relaxetur donec fecerit predicta, et elapsis dictis decem diebus Potestas prefatus, vel ejus Vicarius possit, teneatur, et debeat executionem facere de predictis realiter, et personaliter ad voluntatem fidejussoris pena 25. lib: denariorum. Et si ille qui pro alio fidejusserit, vel principaliter se obligaverit sustinuerit aliqua damna extra sortem, ille talis pro quo facta fuerit talis obbligatio teneatur reficere, et resarcire, omnia, et singula damna, expensas, et interesse de quibus credatur Sacramento fidejubentis assignatis primo Potestati causis legitimis damnificationis, et juret quod tantum damnum sustinuerit occasione predicta, et vere sint cause que assignaverit. Et Potestas coram quo hujusmodi causa ventilaretur teneatur, et debeat condemnare illum pro quo aliquis fidejusserit, vel se principaliter obligaverit tam in sorte, quam expensis, damnis, et interesse pena 25. libr. denariorum. Et de predictis Potestas, vel ejus Vicarius possit, et debeat cognoscere, et fine debito terminare simpliciter, et de plano, et sine strepitu, et figura judicii diebus feriatis, et non feriatis, et non posset aliquis appellare ab hujusmodi pro-

cessu, vel pronuntiatione, et si appellaverint non audiatur appellans, et nihilominus condemnetur in centum solidis denariorum: et si dictus talis pro quo facta fuerit fidejussio, vel principaliter non observaverit indemnem illum qui pro eo fidejusserit, vel principalitatem fecerit, possit accusari quolibet mense semel, et condemnetur in libr. 25. denar. pro qualibet vice, possit tamen accusator tali accusationi renuntiare quandocumque voluerit ante sententiam solutis tamen primo solidos centum denariorum per apodissam camerario dicti Comunis pro ipso Comuni recipienti. Insuper dicimus statuentes quod omnia bona illius pro quo aliquis fidejusserit, vel se principaliter obligaverit sint, et esse intelligantur obligata illi qui fidejusserit pro ipso, ac si expresse obligasset ipsa bona pro dicta fidejussione, et principalitate. Et que dicta sunt de principalibus personis intelligantur esse statuta, et ordinata in personis eorum heredum, et successorum, et habentium jura ab eis. Et predicta intelligantur de presentia, et futura.

De Successionibus ab intestato
Rub.ª 56.

Item statuimus, et ordinamus quod in successionibus ab intestato superstitibus sibi agnatis usque in tertium gradum femine potius excludantur, et si dicte femine dotate non essent tunc dotentur de et super bonis hereditatis talis defuncti secundum facultatem dicti defuncti, et secundum dotes datas et receptas in domo ejusdem defuncti, si talis defunctus fuerit Pater earum.

De habente Arbores super Terreno alterius.
Rub.ª 57.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque habuerit

super terreno alterius aliquas arbores, quocumque casu, et eas elevare voluerit teneatur ipsas illi, vel illis quorum est terra super qua sunt pro pretio competenti dicto duorum vicinorum proximiorum dicte terre vendere, aut compellat eum Potestas elevare ipsas ad illam penam que placuerit Potestati, vel cogat eos eligere duos vicinos, qui estiment dictas arbores. Et predicta omnia fieri faciat dictus Potestas pena centum solidorum denariorum in quibus condemnetur tempore sui Sindacatus.

De Instrumentis reficiendis.

Rub.ª 38.

Item statuimus, et ordinamus quod quando aliquis peteret refici aliquod instrumentum ex aliquo rogitu Notarii jam premortui, quod jam fuerit completum, debeat comparere coram dicto Domino Potestate, et partem citari facere quod veniat ad contradicendum, quare non debeat dictum rogitum refici compleri, et publicari, et si pars non comparuerit, et non assignaverit legitimam causam quare non debeat refici, et transumptive publicari Potestas predictus teneatur precipere, et mandare Notario quod illud debeat transumptive complere, et publicare. Item dicimus, et ordinamus, quod nulla persona audeat vel presumat ostendere alicui Instrumentum, vel rogitum alterius sine licentia illius ad quem pertinet, nisi habuerit a Potestate, vel ejus Vicario ad penam centum solidorum denariorum cuilibet contrafacienti, et qualibet vice. Statuentes insuper quod quando contigerit aliquem Notarium mori, et in testamento suo non commiserit alicui sua Rogita vel Protocolla complenda quod filii dicti notarii mortui qui sunt Notarii illa sumere, complere, et cancellare possint sine aliqua alia commissione de novo facienda. Et si filii dicti Notarii premortui non essent Notarii qui tunc commissionem

dictorum rogitorum, et protocollorum, dicti heredes, vel filii dicti Notarii premortui cum auctoritate Domini Potestatis possint et valeant committere cuicumque Notario de dicta Terra qui possit talia negotia, et protocolla complere, cancellare, et ex eis istrumenta sumere, et talia instrumenta completa per dictum Notarium valeant, et teneant, ac si essent completa per Notarium qui inde fuit rogatus. Addentes insuper quod quilibet Notarius possit per absentiam diuturnam, vel gravem infirmitatem, sua rogita committere alicui notario de dicta terra Montoni qui possit complere, et authenticare, et rogita cancellare, et eis fides adhibeatur, ac si completa essent per Notarium qui de eis fuerit rogatus. Dicimus etiam quod si creditori fuerit satisfactum de suo credito teneatur dictus creditor ad petitionem sui debitoris facere rogitum cancellari. Et si habuerit instrumentum completum teneatur illud reddere suo debitori incisum saltem in tribus locis ad penam centum solidorum denariorum pro quolibet ex qualibet vice qua fuerit contra factum.

Qui comederit, et biberit optime solvat.

Rub.a 59.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis comederit, et biberit, aut hospitatus fuerit in dicta terra Montoni vel ejus Curia, et noluerit Tabernario, aut hospitatori de iis que comederit et biberit, vel pro albergaria solvere liceat tabernario, et hospitatori retinere apud se res dictorum bibentium, et comedentium atque hospitalium, aut pignora auferre, et recipere antequam recedat de hospitio, aut taberna, et ipsum de cetero, de hospitio, aut taberna expellere sine pena, et banno, et credatur eorum Sacramento usque in solidis 25. denariorum. Et si accusaretur de predictis dicta accusatio non admittatur nec de ea sequi possit aliqua condemnatio.

Ubi, ad quem, et infra quantum tempus liceat appellare.
Rub.a 60.

Item statuimus, et ordinamus quod cuilibet de dicta Terra Montoni vel aliunde per se, vel per procuratorem suum liceat appellare ab omnibus, et singulis sententiis difinitivis ferendis in causis civilibus, vel criminalibus per Potestatem dicte Terre vel ejus Vicarium ad Dominum nostrum Papam, et ad Sedem Apostolicam, seu ad Curiam Romanam. Quam appellationem appellans facere debeat coram Potestate tempore late sententie viva voce, vel infra decem dies proxime futuros a die late sententie computandos in scriptis. Et teneatur Apostolos, et omnia acta in causa facere recipere, et cum iis se presentare ante conspectum S.mi D.ni Nostri Pape, vel coram Apostolica Sede, aut eorum audientia ad quos appellaverit, et literas inibitorias ab eis reportare, et coram dicto Potestate eas exhibere, et prestare infra 20. dies tunc proxime secuturos a die appellationis computandos et majorem, et minorem terminum prout videbitur dicto Potestati. Et ipsam appellationem prosequi, et per sententiam facere definire, et terminare infra terminum constitutionum vel aliter a D. Nostro Papa, vel ejus Curia Romana, seu a jure constituitur. Statuentes quod quilibet appellans infra dictos decem dies infra quos licet appellare, restituat parti adverse habenti sententiam pro se omnes expensas in quibus appellans extitit condemnatus in dicta prima sententia. Quas si non solverit appellans in dicto termino, condemnetur per dictum Potestatem in quadruplum. Cujus pene quadrupli medietas sit Comunis Montoni, et alia partis habentis sententiam per se, et nihilominus cogatur solvere dictas expensas remediis opportunis. Liceat tamen cuicumque appellati sue appellationi renuntiare per se, vel ejus procuratorem infra dictos decem dies, et solvat talis renuntians nihilominus, et solvere cogatur de facto Came-

rario dicti Comunis pro renuntiatione tali solidos centum denariorum. . quos centum soldos

teneatur ipsum appellationem cogere et solvi facere sub pena dupli ipsi Domino Potestati. A qualibet autem sententia interlocutoria, precepto, vel gravamine appellari non possit, nisi quod peti possit super iis consilium sapientis eligendi comuniter a partibus si in eligendo concordaverint, alias a Potestate predicto, dictis tamen primo per partes sapientibus suspectis, et confidatis eis. Ad quem sapientem, deposito, et soluto competenti salario et mercede, per petentem ejus consilium mittantur omnia acta, sententia interlocutoria vel preceptum super quibus, vel de quibus pars senserit se gravatum. Super quo consilio dictus Potestas secundum consulta per dictum consultorem debeat, et teneatur pronuntiare, et executioni mandare et mandari facere, sub pena centum libras denariorum dicto Potestati vel Vicario, coram quo predictum consilium presentatum fuerit in quibus condemnetur tempore sui Sindacatus. Quod quidem Consilium pars petens reportare, producere, et presentare teneatur et debeat coram predicto Potestate vel ejus Vicario infra decem dies a die depositi Salarii computandos ad penam centum solidorum denariorum, et nihilominus in causa ad executionem, vel ad alia acta per dictum Potestatem non procedatur, et termini instantie non currant donec dictum consilium fuerit representatum, et reportatum coram dicto Potestate vel Vicario ad quod reportandum et representandum pars petens possit per dictum Potestatem vel Vicarium cogi sub penis arbitrio eorum imponendis, et auferendis.

A quibus caussis appellari non possit.

Rub.a 61.

Item statuimus, et ordinamus quod a processibus faciendis per Dnum Potestatem, vel ejus Vicarium, et circa cognitionem et

acta causarum criminalium, seu maleficiorum, ante sententiam definitivam appellari non possit nec liceat. A sententiis vero definitivis vel interlocutoriis vim difinitive sententie habentibus tam in civilibus quam in criminalibus appellari possit. Ab omnibus autem gravaminibus, et preceptis per dictum Potestatem vel ejus Vicarium factis appellari non liceat nec possit sed tantum superinde peti possit consilium sapientis, et si quis a predictis appellaverit ejus appellatio non valeat nec admittatur, sed quilibet appellans a predictis condemnetur seu puniatur de facto in libr. decem denariorum Comuni.

De requirendis in mandatis Procuratorum.

Rub.a 62.

Item statuimus, et ordinamus quod Procuratores sint, et esse debeant legittimi et contra eos et eorum mandata opponi non possit que non sint legittime relevati. dummodo constet in eorum instrumentis, et mandatis quod constituentes promiserunt de rati habitione et judicatum solvere, sed admittantur pro legittimis procuratoribus.

De Prescriptionibus.

Rub.a 63.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona cujuscumque conditionis, status, et qualitatis existat de dicta Terra Montoni vel aliunde possit vel debeat petere coram dicto Potestate, vel ejus Vicario aliquam pecunie quantitatem vel aliquas res mobiles vel immobiles sibi vel alteri debitas de quibus apparet publicum instrumentum nisi ab annis 25. infra a die facti instrumenti, et celebrati contractus computandis; Et si de petitis non appareat publicum Instrumentum petere solummodo possit ab annis 20. infra, et non ultra. Et si predicta infra dictos terminos non peterentur, ut supra dictum est a creditore vel suis heredibus per se, vel per aliam

legitimam personam elapsis dictis terminis non audiantur, nec petere possint, sed intelligantur talia debita fore prescripta. Et si dictus principalis creditor decesserit, et debitum predictum infra dictos terminos non petierit, tunc ejus heredes ad dictum debitum minime audiantur, sed cogantur dicto debitori vel suis heredibus dictum instrumentum reddere cancellatum, salvo quod predicta prescriptio non currat minoribus quatuordecim annis, sed abinde supra currere debeat prescriptio supradicta. Item dicimus statuentes quod omne debitum pro adjutorio peti possit, et debeat infra quinque menses a die presti adjutorii computandis, et non ultra. Et si tale debitum infra dictum terminum petitum non fuerit, imposterum peti non possit, et si petatur non audiatur, immo intelligatur tale debitum fore prescriptum elapso dicto tempore, et dono factum, et si in dicto termino petitum fuerit, fiat per Dnum Potestatem petenti jus summarium et expeditum, et preceptum de non discedendo de palatio donec solverit omni tempore diebus feriatis, et feriis non obstantibus. Et simile jus fiat alfidis, seu artificibus quibuscumque de eorum laboreriis, mercedibus, et pretiis rerum artium, et hypotecarum, cum constiterit de debito nisi pactum dilatorium fuerit allegatum, et probatum a debitore, quo casu fiat sibi mandatum secundum pactum, et credatur juramento, seu libro cujuslibet artificii, cauponis, et hospitis super petitis per eos usque in quantitatem quadraginta solidorum denariorum. Abinde vero supra probetur per alias legitimas probationes.

Quod Testamenta instituentium usque in quartum gradum insinuentur. Rub.a 64.

Item statuimus et ordinamus quod si qua persona de dicta Terra, et ejus districtu, vel habitans in eis suum condiderit Testamentum, aut aliam ultimam voluntatem in quo, aut qua suum vel suos instituerit heredem vel heredes, suum, vel suos attinentes extra

et ultra consanguinitatem quarti gradus, quod dictus heres institutus seu instituta, seu dicti heredes instituti teneantur, et debeant infra decem dies a mortis die talis Testatoris computandos, comparere coram dicto Potestate, vel ejus Vicario cum dicto Testamento et ipsum coram uno eorum presentare, et insinuare, et preterquam factis infrascriptis subhastationibus, et bannimentis, dictum Testamentum pronuntietur pro insinuato, nec non registretur in libro civilium apud acta dicti Potestatis in Comuni relaxando tempore sui Sindacatus. Qui Potestas, vel ejus Vicarius visa, et audita petitione statim committat uni ex preconibus dicti Comunis quatenus vadat ad Scalas Palatii dicti Comunis, habitationis, et residentie prefati Dñi Potestatis, et ibidem, sono tube premisso, si tubam habet, alta, et intelligibili voce tribus diversis diebus faciat infrascripta tria bannimenta: videlicet, quod si quis vel si qui sunt qui velint contradicere, vel aliquid opponere contra dictum Testamentum, aut contra institutionem heredum predictam, vel contra ipsos heredes institutos, maxime quod tale testamentum non sit jure factum, seu dicta institutio heredum, et aliter de jure fieri non potuerit, seu heredes instituti de jure institui non potuisse, seu non posse de jure dictam hereditatem adire compareant, et comparere debeant coram Potestate vel Vicario infra tres dies tunc proxime secuturos contradicturi, opposituri, allegaturi, et probaturi predicta, seu aliquod predictorum, seu quidquid possunt, et volunt contra dictum Testamentum, seu ultimam Voluntatem institutos, et instituentes predictos: Item in dicto, et eodem bannimento simili voce dicat, et banniat dictus, quod si qui sunt creditores debentes recipere aliquod, seu aliquam rem, seu aliquam pecunie quantitatem in dicta hereditate dicti testatoris defuncti, sive defuncte infra dictos tres dies compareant, et comparere debeant coram dicto Potestate vel ejus Vicario al-

legaturi, monstraturi, et probaturi dictum Testatorem, seu Testatricem dictam, tempore sui obitus fuisse, et esse suum debitorem in aliqua re, seu quantitate, et sibi dicta ejus bona esse quomodolibet obligata, aliàs ipsis non comparentibus ipsum Testamentum pronuntiabitur pro insinuato, et elapso dicto termino, in dicto primo bannimento assignato, fiat secundum bannimentum simili modo et forma, et demum elapso dicto simili termino in dicto secundo bannimento assignato, dictus preco faciat aliud tertium bannimentum, eodem modo, et similiter assignet predictis terminum trium dierum proxime futurorum ad faciendum predicta, et dies termini numquam computentur in termino quibus tribus terminis in dictis bannimentis assignatis elapsis, et decursis si contra dictum Testamentum, vel aliam ultimam voluntatem contradictum, et oppositum non fuerit legitime, et ita, et taliter, quod tales conditiones, et oppositiones non habeat dictum Testamentum, et ultimam voluntatem infringere, et irritare, seu dictam institutionem, vel Creditores predicti non comparuerint, et ostenderint omnia dicta talis testantis eis obligata, vel si comparuerint, et probaverint predicta, et dicti heredes instituti voluerint heredes esse, et dicta debita satisfacere cum effectu pronuntietur per dictum Potestatem seu Vicarium, et pronuntiare teneatur, et debeat dictus Potestas et Vicarius dictum Testamentum fore, et esse insinuandum, et pro insinuato habendum, et apud acta, et in Actis dicti Comunis, et Curie dicti Potestatis scribendum, et registrandum dictis tribus bannimentis precedentibus in dictis Actis scriptis, et adnotatis, et si dicti heredes instituti sive institute infra dictos decem dies a die mortis Testantis computandos, ut premittitur non comparuerint, et petierint coram dicto Potestate vel Vicario dictum Testamentum insinuari, et registrari apud acta, et pro insinuato

haberi, et pronuntiari tunc et eo casu dicti heredes instituti, seu institute perdant dictam hereditatem totam, et sit ipsa hereditas tota dicti Comunis, ac si dictum Comune a dicto Testatore esset legitime institutum, cujus hereditatis medietatem satisfactis, et solutis primo omnibus et singulis legatis in Testamento, et ultima voluntate, relictis, et descriptis dictum Comune dare, dispensare, et assignare teneatur et debeat in bonis, aut in pecunia pauperibus, et inter pauperes, et miserabiles personas dicte Terre, et sue Curie, vel in dictis Terre, et Curia commorantes, vel assignare uni, aut omnibus hospitalibus dicte Terre prout dicto Comuni videbitur, et placebit, et reliquam medietatem dicte hereditatis dictum Comune solvat, et expendat in fortificatione, et monitione dicte Terre pro anima talis defuncti, seu defuncte, et non in aliis factionibus dicti Comunis pena, et banno centum librarum denariorum, Potestati, Dominis Sex Camerario, et ceteris consultoribus contradicentibus, consulentibus, seu contrafacientibus, et cuilibet eorum. Non obstantibus aliqua contradictione, reclamatione, seu oppositione dictorum heredum. Nec non obstantibus aliquibus statutis, constitutionibus, legibus, et beneficiis juris civilis, et Canonum pro dictis heredibus facientibus quoquo modo, et si contigerit dictos institutos de predictis, aliquam litem movere contra dictum Comune in Curia dicte Terre vel alibi de perditione dicte hereditatis condemnetur pro dicto Comuni in libris ducentum denariorum sine aliqua detractione: nihilominus ad predicta non audiantur.

De Divisionibus faciendis.

Rub.a 63.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis habuerit aliquod edificium comune cum aliquo vel aliquibus, et alter ipsorum dictum edificium non tenuerit, vel non fuerit eo usus, non obsit ei vel suis

heredibus prescriptio in statutis contenta, nec aliqua alia prescriptio juris ei vel suis heredibus prejudicium, nocumentum, seu impedimentum faciat propter longum, et longissimum tempus facti, et celebrati contractus, inter eos. Et si quis tenuerit murum, seu stillicidium, et ipsa caderent supra domum se terrenum alicujus ubi sit murus Comunis ei qui partem habet in muro non nocet, sed ille cujus murus, vel stillicidia caderent, vel cadere facerent murum comunem remurare faciat, et facere teneatur dictum murum suis tantummodo expensis. Et si murus comunis ceciderit, et una partium velit reedificare, et altera non, vel si una partium murum voluerit altius murare, et elevare, tunc eadem pars murare volens faciat aliam partem nolentem murare citari coram Potestate seu Vicario, et sibi protestetur coram ipso, ut velit comunibus expensis, et laboribus una in ipsa parte murum edificare, vel altius elevare in presentia duorum testium fide dignorum, et ipsam petitionem scribi faciat in actis dicti Comunis, et si dicta pars predicta facere recusaverit, scribatur ejus recusatio et dicta protestatione, et recusatione parti volenti facere murum liceat edificandi, et murandi suis expensis, et mandet dicte parti nolenti edificari, vel murare quod super dicto muro murando per volentem murare, nullatenus edificet vel quomodo utatur, nisi refectis expensis quas estimari et declarari faciat per muratores murantes dictum murum, et quemdam alium muratorem qui non steterit ad predicta statim completo dicto muro, et dicta estimatione, et declarationem estimationis fieri faciat coram ipso potestate in presentia duorum Testium ad minus, et scribi in actis comunis. Quare expensarum medietatem dictus nolens murare, dare, et solvere teneatur infra duos annos a die completi muri numerandos ad penam dupli in qua debeat condemnari per Potestatem, et

elapso dicto termino si a parte accusabitur, et idoneus fuerit ad solvendum dictas expensas, et aliter non volumus; insuper quod si aliqua persona pontem, vel trabem haberet, seu balchionem: vel aliquod edificium super vel suam domum, vel terrenum alicujus quod Potestas ad petitionem illius, cujus est terrenum, sive domus infra unum mensem postquam petitum fuerit, teneatur facere elevari, nisi pacta et conventiones per testes, vel instrumenta apparent in contrarium ad penam quinquaginta librarum denariorum dicto Potestati que dicto Comuni applicetur tempore sui Sindacatus.

Item dicimus quod si quis habuerit domum, terrenum vel molendinum, clausuram, vel agrum comunem, aut rem aliam stabilem cum aliqua persona que divisa non fuerit, et aliquis eorum pervenire voluerit ad divisionem, et petierit ipsam divisionem fieri Potestas, vel Vicarius coram quo fuerit querimonia posita teneatur precise, et debeat talem divisionem fieri facere hoc modo, videlicet quod Potestas, vel Vicarius faciat dictas partes coram se venire, et eis precipere quod non recedant de palatio, donec de predicta divisione fuerint concordes, vel comuniter elegerint duos eorum amicos comunes, qui habeant ab eis auctoritatem, et potestatem dividendi, et divisionem faciendi, et ipsos de dicta divisione in pace ponendi, et si dicti amici non fuerint concordes, compellantur stare in palatio donec predictam divisionem concorditer fecerint prescriptione alicujus temporis non obstante quo steterint dicte res indivise, possesse, et si ille cum quo dicitur res comunis esse negaverit rem comunem esse, tunc Potestas, vel Vicarius assignet terminum utrique parti ad probandum de jure suo sine aliqua oblatione libelli, et si probaretur res comunis esse procedatur secundum formam hujus Capituli, quod Capitulum sit precisum, et habeat locum in omnibus rebus de quibus divisio peteretur, et si cessarent partes comparere compellantur coram ipso comparere penis appositis toties, quoties videbitur Potestati, et donec venerint

in quibus multari debeant, et condemnari inobedientes, et si pars citata non venerit eligatur per Potestatem nomine talis comparere nolentis unus de consanguineis, vel amicis non comparentis ex parte sua, et alter ex parte comparentis, eligatur per ipsum comparentem quos Potestas cogat ipsam divisionem facere concorditer modo supradicto, que divisio valeat, ac si electus foret talis amicus, vel consanguineus a dicto non comparente. Additum est quod si aliquis de cetero in dicta terra, vel ejus curia haberet quoquo jure tres partes vel ultra alicujus domus, vel casareni, et vellet emere partem sui portionarii quod idem portionarius cogatur, et compellatur per dictum Potestatem ad dicto emere volenti vendendum pretio per duos eorum comunes amicos ab eis comuniter eligendos; et similiter si dictus habens quartam partem vel minorem voluerit vendere cogatur, et compellatur dictus portionarius habens majorem partem emere dictam minorem partem pretio per dictos duos amicos eligendos sub pena dicto Potestati 50. librarum denariorum. Et si que res essent plurium sociorum comunes, et ipse res indigerent utili expensa, et necessaria, et unus vellet facere talem expensam, et alter recusaret, ille qui talem expensam fecerit possit sibi retinere de fructibus dicte rei comunis, si fructus ascenderent ad dictam, et tantam expensam. Et si querelam posuerit dictus expendens coram dicto Potestate idem Potestas habita fide expensarum factarum teneatur, et debeat dictos recusantes cogere, et compellere ad solvendum, et restituendum partem suam de dictis expensis cum socio, qui ipsas expensas fecerit usque ad integram satisfactionem sub dicta pena quinquaginta libr. denariorum.

De executionibus Condemnationum
Rub.a 66.

Item statuimus, et ordinamus ad hoc ut Officiales sint soliciti ad exigendum condemnationes factas, et latas per suos Processores quod

Potestas dicte Terre habeat, et habere debeat duos solidos pro libr. denar. de qualibet condemnatione, quam ipse exegerit, et venire fecerit in comune solvendos sibi per Camerarium dicti Comunis de dictis exactis condemnationibus statim post dictam factam exactionem.

De Executionibus, et Solutionibus faciendis per libram.

Rub.a 67.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas dicte Terre de quibuscumque executionibus fiendis per ipsum Potestatem, vel Vicarium tam de pecuniis, et proventibus, datiis, seu Gabellis dandis, et assignandis in extractu per Dnos Sex dicte Terre, quam de quibuscumque aliis pecuniis Datiis in extractum pro quacumque persona dictus Potestas, et ejus Vicarius habeat denarios duodecim pro libr. denar. a solventibus, et solvere debentibus dictas pecunias in dictis extractibus non obstantibus aliquibus Statutis, seu reformationibus factis, vel fiendis in contrarium, in quibus causis Potestas vel Vicarius in exigendo faciat Jus summarium et expeditum, et faciat mandatum dictis debitoribus de non discedendo de Palatio donec solverint quod tenentur.

De Solutionibus faciendis per libram de quibuscumque quantitatibus, in rebus, in judicio petitis.

Rub.a 68.

Item statuimus et ordinamus quod de qualibet executione fienda, vel de quacumque quantitate pecunie petita sive petenda in judicio coram dicto Potestate, vel Vicario contra aliquam personam ad bancum juris causarum Civilium tam vigore instrumentorum, vel cujuslibet alterius scripture publice vel private, vel quacumque alia causa et jure, dictus Potestas, vel Vicarius, habeant, et habere debeant duos denarios per libram, et Comune dicte Terre quatuor denarios per libram solvendos tempore sue porrecte vel facte petitionis Camerario dicti Comunis per buletteas scriptas manu dicti Vicarii. Et si fuerit Forensis tali

petens, et contra quem petitum fuerit solvat denarios duodecim per libram: videlicet duas partes Camerario dicti Comunis pro ipso Comuni, et unam partem ipsi Potestati; et idem dicimus de executione vel petitione facta de rebus que estimari debeant, et secundum earum estimationem solvantur dicti denarii modo supradicto; sed si terrigena fuerit debitor solvantur pro executione tantummodo dicti denarii sex, et non ultra per libram denariorum.

Incipit Liber III.

Super Maleficiis puniendis

Ut Maleficia non remaneant impunita, sed formidine pene mali perhorrescant, quodque peccatum et boni ipsorum virtutibus glorientur, ne scelerum multitudine malos pertimeant aut labefactentur, et cum impunitas scelerum bonos exarmet, et malorum armet audaciam contra bonos, in presenti libro decernimus ad constitutionem penarum descendere modo et ordine infrascriptis.

De Officio, et arbitrio D. Potestatis Montoni super Maleficiis. Rub. 1.

Inprimis quidem statuimus, et ordinamus quod Potestas Comunis Montoni, et ejus Vicarius, et quilibet eorum habeant arbitrium, auctoritatem, et potestatem inquirendi, et procedendi de et super omnibus, et singulis robariis, proditionibus, furtis, homicidiis, incendiis, exterminationibus terminorum Terrarum, et falsitatibus, et omnibus, et singulis maleficiis excessibus, culpis, et delictis in dicto Castro, et ejus Territorio, et districtu quomodolibet committens. Super quibus omnibus, et singulis maleficiis in modo inquirendi, et procedendi habeant arbitrium liberum, summarie, et de plano sine strepitu, et figura judicii, et omnibus, et singulis aliis quibus dicto Potestati, et ejus Curie videbit, et placebit. In puniendo vero, et condemnando sequatur, et sequi debeat formam Statuti. Salvo quod de Adulteriis non per vim commissis ex suo officio procedere non possit nisi ad denunciationem, querelam, et

R. ARCHIVIO di STATO di ROMA BIBLIOTECA

accusationem Adulterate ejusque Viri, Patris, vel Avi, aut ejus fratrium Carnalium, et his deficientibus proximorum Consanguineorum. Volumus autem quod in dictis maleficiis, et excessibus quibuscumque dictus Potestas et Vicarius cognoscere possint, et condemnare, et si opus fuerit ad denunciationem, querelam, et accusam cujuscumque injuriam passi, et injuriati.

De modo, et ordine procedendi in Maleficiis, et de Citationibus fiendis. Rub.a 2.

Item statuimus, et ordinamus quod si Potestas terre predicte, vel ejus Vicarius, procederet contra aliquem accusatum, denunciatum, vel inquisitum debeat procedere hoc ordine: videlicet. Quod primo citari faciat accusatum, denunciatum, vel inquisitum per Bajulum Comunis cum cedula continente effectum maleficii de quo accusatur, inquiritur vel denunciatur cum termino trium dierum infra quem debeat comparere ad se excusandum, et defendendum, ab accusatione, denunciatione, sive inquisitione, et contentis in ea, contra eum producta vel formata; et debeat citari personaliter, vel ad domum sue solite habitationis, vel ad locum in quo moram facere consuevit si fuerit terrigena, et si fuerit forensis, et non habitaverit in dicta Terra, vel ejus districtu, tunc citetur cum dicta cedula ad locum sue habitationis, si habitaverit prope dictam Terram Montoni per decem milliaria, et si ejus habitatio distaret a dicta Terra ultra dictum spatium, et milliarium, tunc talis forensis citetur ad hospitium Terre Montoni predicte si extat hospitium, et si non ad portas dicte Terre cum dicta cedula, et ipsa ibidem relaxetur. Et si talis persona citata terrigena vel forensis in dicto termino citationis assignato non comparuerit coram dicto Potestate vel Vicario, et ejus Curie tunc citetur per preconem dicti Comunis: videlicet. Terrigena alta semel domi sue habitationis, et Forensis in scalis palatii Comunis et habi-

tationis dicti Domini Potestatis, et assignetur sibi terminus trium dierum in dicta secunda Citatione, et si infra dictum terminum dicte secunde Citationis non venerit per se, vel alium legitimum qui alias non possit, nec debeat recipi nisi ad confitendum maleficium, tunc ponatur in banno per preconem dicti Comunis a dicta Terra Montoni, et ejus Comitatu, et districtu in dictis Scalis Palatii

In quo banno assignetur sibi terminus trium dierum ad comparendum, et se excusandum, et defendendum ut supra, et si in dicto termino dicti banni non comparuerit, tunc talis denuntiatus, accusatus, vel inquisitus habeatur pro confesso, et convicto, et testibus superato, et tamquam contumax, et convictus condemnetur in penis in quibus pro suo delicto secundum formam Statutorum dicte Terre Montoni venit condemnandus, et talis sententia valeat, et Juris obtineat firmitatem pro dicta contumacia ac si maleficium esset plene probatum, sive confessatum, quam dictus Potestas possit, et debeat executioni demandare.

Qualiter procedatur contra Inquisitos, denunciatos, et accusatos pro penis pecuniariis. Rub.a 3.a

Item statuimus et ordinamus quod accusatus, denunciatus, vel inquisitus de aliquo crimine pro pena pecuniaria deberet imponi comparens datis idoneis fidejussoribus approbatis per Camerarium dicti Terre de parendo mandatis predicti Dni Potestatis et sue Curie, et solvendo ejus condemnationem relaxetur. Salvo quod ubi in defectu pene pecuniarie non solvende succederet aliqua pena corporalis ex forma alicujus Statuti, quod eo casu facto deposito penes Camerarium dicte Terre de dicta quantitate solvenda debeat omnino relaxari, et quod Potestas predictus facta

dicta excusatione per dictum reum, vel aliam legittimam personam pro eo, et datis dictis fidejussoribus, statuat eidem terminum trium dierum, et plurium, ejus arbitrio usque in decem dies ad omnem defensionem faciendam cum monitione ut intersit in judicio omnibus actis super ejus persona fiendis usque ad sententiam inclusive.

Infra quantum tempus debeat expediri processus, et de modo sententiandi. Rub.a 4.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas vel Vicarius teneatur, et debeat

Processus vero pendentes infra triginta dies, a die assignationis librorum, vel actorum novo Potestati computandos. Et teneatur dictus Potestas super dictis Processibus judicare, et sententiare in consilio generali dicti Comunis, non obstante quod aliqua pars citata non fuerit ad dictam sententiam audiendam; que sententia sic lata valeat, et teneat partibus presentibus, vel absentibus citatis, vel non citatis, dummodo in ipsa sententia sint alia que in ipsa requiruntur. Fiat tamen bannimentum per preconem dicti Comunis die precedenti de sero, vel eodem die de mane, quo ferruntur dicte sententie in scalis Palatii dicti Comunis, quod omnes et singuli inquisiti, accusati, et denunciati in Curia dicti Potestatis die sequenti de mane, vel de sero, vel eodem die de sero ad sonum campane dicti Comunis, venire debeant in judicium ante Tribunal, et coram dicto Potestate, et ejus Curia, et similiter omnes et singuli Consilia-

rii de Consilio generali dicti Comunis ad audiendas dictas sententias ferendas que in dicto Consilio legantur.

&c

Quas sententias teneatur, et debeat dictus Potestas exequi et executioni demandare contra reos, et eorum bona, vel contra eorum Fidejussores, et eorum bona.

Infra quantum tempus possit de Maleficio cognosci
Rub.a 5.

Item statuimus, et ordinamus quod de omnibus, et singulis maleficiis excessibus, et delictis de quibus potest procedi Dnus Potestas vel ejus Vicarius possit inquirere, procedere, condemnare atque punire si commissa fuerint, et perpetrata tempore sui regiminis, et officii, ac etiam toto tempore sui Precessoris de quibus non esset cognitum vel decisum. De homicidio autem. . .

De Probationibus que sufficiant in Maleficiis
Rub.a 6.

Item statuimus, et ordinamus quod maleficia debeant probari per duos testes fidedignos, vel per confessionem accusati, vel inquisiti, que probatio duorum admittatur, et valeat, et iis deficientibus Potestas possit, et debeat ponere ad torturam quemcumque Terrigenam, vel districtualem dicte terre Montoni in omnibus infrascriptis Maleficiis, excessibus, et delictis, videlicet, Homicidio, Prodimento, Adulterio, Crimine lese majestatis, Furto, Robbaria pro privato carcere falsitate cujuscumque generis, pro crimine

contra naturam, et pro incendiis, et generaliter pro omnibus aliis maleficiis, cum armis, et sanguinis effusione commissis, pro quibus tamen maleficiis non possit aliquis torqueri nisi precedentibus presumptionibus, et indiciis legittimis, et sufficientibus, vel nisi probatum fuerit per publicam vocem, et famam per sex testes fidedignos de auditu, vel saltem per unum testem ad minus de visu probantem, et omni exceptione majorem, et si inquisitus, denunciatus, vel accusatus non comparuerit coram dicto Potestate, et ejus Curia in termino citationis ad subjiciendum se torture habeatur pro confesso, et convicto, et testibus superato, Et si Potestas contrafecerit in predictis, vel aliquo predictorum condemnetur in libr. videlicet pro qualibet vice, et tormentato contra dictum ordinem et modum.

De penis imponendis per Potestatem et ejus Vicarium.

Rub.a 7.

Item statuimus, et ordinamus quod dictus Potestas possit, et valeat de facto imponere, et exigere penam inobedientium sibi pro quolibet, et qualibet vice usque in lib. decem denariorum in maleficiis tantum, et in civilibus in lib: quinque denariorum. Ejus vero Vicarius usque in viginti solidos denariorum, dummodo . . . . nullus . . . . . . possit nec valeat pro aliquo. . . . . .

si in dicta una causa pluries fuerit inobediens dicto die. Possint tamen in rixis sedandis, et tollendis penas imponere, et exigere eorum arbitrio.

De penis infamantium.

Rub.a 8.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis vel aliqua persona infamaverit aliquem, vel aliquam personam, et non pro-

baverit ipsam infamiam esse veram condemnetur comuni in illa pena, in qua veniret condemnata talis persona infamata si illud tale commiserit de quo fuerit infamatus, et si de tali infamia non fuerit pena determinata in Statutis, et gravis fuerit infamia de qua stetur declarationi Potestatis condemnetur in lib: decem denariorum pro quolibet infamato, et qualibet vice. Et si talis infamia fuerit levis condemnetur in solidos quadraginta denariorum. Et si infamia esset de tali maleficio de quali sequeretur pena personalis si infamia vera foret, condemnetur talis infamans in lib: 25. denariorum pro qualibet vice, et quolibet infamato. Super quibus omnibus infamiis Potestas procedere non possit nisi per accusam infamati. Et si aliquis conquereretur, et diceret aliquem sibi damnum dedisse, vel ab aliquo se furtse accusatum, et probare non potuerit, et accusatus fuisset de tali infamia condemnetur in solidos 10. denariorum sine diminutione aliqua.

Que Persone accusare possint in Maleficiis, et infra quantum tempus. Rub^a. 9.

Item statuimus, et ordinamus quod quilibet passus injuriam vel offensam in personam, vel rebus possit accusationem, vel denunciationem facere coram dicto Potestate, vel ejus Vicario, ac etiam Mater si patrem non haberet, Pater filius, pater avus, Nepos, Patruus, avunculus, et quilibet eorum, que accusatio, et denunciatio fieri possit, et debeat infra duos menses a die commissi et perpetrati Maleficii, elapsis vero dictis duobus mensibus nullatenus recipi possit, et si recipiatur non valeat quoquo modo. Et hec equidem salvo quod de homicidiis, Prodimentis, Furtis robbartis, et falsitatibus cuilibet sit licitum accusare infra quinque ~~menses~~ annos a die commissorum computandos. Quas accusationes teneatur dictus Potestas recipere, et omnia in eis opportuna facere, et testes recipere, et de accusationibus, et

testibus et omnibus actis copiam dare si a partibus fuerit postulatum. Forenses autem non possint ibique terrigenam vel districtualem Montonensem accusare nisi de sua, vel suorum injuria, tantum.

Quod quilibet teneatur probare, et prosequi accusationem suam. Rub.a 10.

Item statuimus, et ordinamus quod quilibet accusator teneatur et debeat prosequi accusationem suam, et ipsam accusationem, vel denunciationem probare intra terminum sibi assignatum per Dnum Potestatem, vel ejus Vicarium, et si non prosequutus fuerit, vel non probaverit condemnetur accusans in ea pena in qua condemnari deberet talis accusatus, si accusatio fuisset vere probata.

Quod nulla Mulier detineatur in Palatio.
Rub.a 11.

Item statuimus et ordinamus ut suspitiones tollantur et male cogitationes in cordibus hominum non oriantur quod nulla mulier cogatur pro aliquo facto vel casu in Palatio Dni Potestatis, et domi residentie D. Potestatis de die, nec de nocte ire, stare, vel morari occasione attestationis faciende vel alia causa nisi forte occasione Maleficii per eam perpetrati, in quo casu possit de die, et de nocte retineri quousque satis dederit Comuni si personaliter ob ejus maleficium puniri non deberet. Item non cogatur aliqua mulier ire, et intrare in dictum Palatium ex aliqua causa civili, sed possit agere, et respondere per procuratorem, et facta, et gesta per dictum Procuratorem valeant, et teneant, ac si facta, et gesta forent per ipsam si personaliter interesset juxta formam sui mandati. Et si necessaria esset presentia talis mulieris mittatur Vicarius ad eam, vel venire faciat ad aliquam ex Ecclesiis dicte Terre, et illic habeatur ab ea veritas, et quicquid per eam fuerit declarandum. Et si per

Potestatem vel Vicarium fuerit contrafactum condemnentur tempore sui Sindacatus dicto Comuni in libr. 25. denariorum pro qualibet vice, et qualibet muliere.

De Negantibus Maleficia in posterum non audiendis. Rub.ª 12.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliqua persona fuerit a Potestate seu ejus Vicario super maleficio per ipsam commisso interrogata, et in prima sua excusatione negaverit tale maleficium commisisse de quo contra eum procederetur quoquomodo, quo elapso die dicte prime sue excusationis si voluerit in posterum tale maleficium confiteri, talis confessio non sibi prosit, sed condemnetur secundum formam Statutorum secundum ejus confessionem, et probata per testes sine aliqua detractione propter dictam confessionem.

De Pena facientium injuriam Parentibus Rub.ª 13.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat, vel presumat quoquomodo injuriam vel offensam facere Patri, vel Matri suis, Avo, vel Avie aut Patruo, sed potius eorum sanis, et utilibus casibus, et utilitatibus, atque consiliis obedire teneantur, et debeant juxta posse, contrafacientes vero pro injuria, et offensa predicta facta in personis predictorum patiatur a Potestate, et pati debeat qualibet vice quatuor strappatas torture, sive tractus canapis in ejus personam, et majorem penam secundum voluntatem injuriam passi, quem licet prefato Potestati torquere, et carcerare modo predicto, et magis et minus prout videbitur dicto Potestati in quibus, et super quibus dictus Potestas habeat plenum arbitrium procedendi, et puniendi prout sibi videbitur, et placebit non tamen multum excedendo modum predictum.

Quod contra habitantes in una familia non possit procedi

nisi per accusam Rub.a 14.

Item statuimus, et ordinamus quod dictus Potestas, vel ejus Vicarius non possit nec debeat contra committentes maleficia, seu maledicta proferentes habitantes in una et eadem domo, et familia nisi per accusam, denuntiam, et querelam injuriam passi, et si aliter procederetur, seu condemnaretur talis processus, et condemnatio non valeat, nec teneat sed sit, et esse intelligatur sine aliqua efficacia, vel momento, salvo quod si injuriam passus moriretur, vel debilitaretur aliquo membro; quod tunc, et eo casu procedere possit Potestas predictus contra talem delinquentem tam ex officio, quam ad denuntiam, et accusam, ac etiam procede possit, non precedente aliqua accusa, denuntia, vel querela injuriati ex officio contra quemcumque percutientem aliter quam manu vacua ex qua percussione Sanguis exierit.

De pena insultantis cum armis vel sine.

Rub.a 15.

Item statuimus et ordinamus quod nemo audeat vel presumat facere insultum in Terra Montoni, vel ejus districtu contra aliquam personam cum armis, vel sine, et qui contrafecerit, si cum armis evaginatis in libris 20. denariorum puniatur, et condemnetur, et si cum armis non evaginatis in libr. 15. denariorum, et si cum armis non ferreis in libr. 10. denariorum, et si sine armis in lib: quinque denariorum; et intelligatur esse insultus in omnibus predictis casibus quando aliquis appensate venerit contra aliquem animo injuriandi, insultandi, et offendendi: non autem intelligatur esse insultus quando ipse venerit ad verba tantum nisi in iis verbis sequeretur adminatio vel percussio. Sed si in ipso insultu pervenietur ad aliquem actum adminationis seu percussionis, puniatur pro altero ipsorum tantum: videlicet pro insultu, vel pro actu de quo major pena esset imposita ex forma Statutorum, et si in ipso insultu fugaverit, et insecutus ferit

insultatum si cum armis puniatur in libr. 25. denariorum; et si sine armis in libris 10. denariorum condemnetur.

De pena dicentium verba injuriosa, et remproperantium aliquam injuriam. Rub.^a 16.

Item statuimus et ordinamus si quis dixerit alicui infrascripta verba injuriosa, vel aliquod ipsorum: videlicet, Cornuto, Bacco, vel iis similia, condemnetur in libris decem denariorum. Sed si predicta verba, vel aliquod eorum dixerit contra aliquem habentem uxorem, vel non habuerit puniatur in solidis viginti denariorum sine aliqua detractione. Si vero aliquis dixerit alicui infrascripta verba injuriosa, videlicet, Traditore, falsario, ladrone, furbone, vel tu menti, vel alia verba iis similia puniatur pro quolibet verbo, et qualibet vice in libris quinque denariorum, si predicta verba dicta et prolata fuerint per temporis intervallum, et si in uno instanti unum vel plura verba predictorum dixerit condemnetur solum in quinque libris denariorum. Si vero dixerit aliquis alicui alia verba injuriosa leviora, et minoris importantie in 20. solidis denariorum condemnetur pro quolibet verbo, et qualibet vice. Si dixerit cum temporis intervallo, ut premittitur, et quod sint verba injuriosa, vel ne, remaneant in arbitrio Potestatis. Si vero aliquis remproperaverit alicui aliquam injuriam factam specialiter nominando, et illatam ei, suo patri, vel matri, Avo, Avie, filio, filie, Nepoti, vel Nepti ex filio, fratri, vel sorori, aut uxori, vel quam ipse aut alter predictorum fecisset alteri, vel reimproperaverit aliquam penam corporalem impositam alicui predictorum condemnentur pro quolibet verbo reimproperatorio, et pro qualibet vice, in libris decem denariorum.

De pena admenantium, vel percutientium aliquem cum armis, vel sine. Rub.^a 17.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis, vel aliqua ad-

menaverit contra aliquam personam cum armis infrascriptis, irato animo, et malo modo et animo offendendi, videlicet cum Mandaria, Lancea, Clavarina, Beccha . . . . Roncone, vel Quadrella seu guaretta balistando cum Balista, vel arcu, cum Speto, quadrelletto, cultello, bastone ferreo sive ferrato, Mazza ferrata, pallata plumbea, vel ferrea, vel aliis generibus armorum iis similibus in admenando, jaciendo, vel sagittando, et non percusserit puniatur in Lib: 25. denar. Si vero admenaverit in lapide, gleba, ligno, osse, vase terreo vel alia re, vel aliis armis iis similibus in admenando vel jaciendo, et non percutiendo puniatur in lib. 10. denariorum. Si vero admenaverit manu vacua, et non percusserit puniatur in libr. . . . . pro qualibet vice, et qualibet admenatione. Sed si quis, vel qua persona percusserit aliquem, vel aliquam personam in dicta Terra vel ejus Territorio, et Curia cum dictis armis ferreis, et iis similibus, si in facie et a gula supra et sanguis exiverit in libris centum denariorum. Si vero ex dicta percussione cicatrix in facie permanserit, vel fuerit remansura condemnetur in libris ducentis denariorum. Si vero in alia parte corporis in libris quinquaginta denariorum pro qualibet percussione. Si vero ex una percussione plura vulnera fierent cum sanguine puniatur in libris quinquaginta denariorum pro qualibet vulnere. Si vero ex dictis percussionibus cum dictis armis sanguis non exierit puniatur in medietate dictarum penarum. Et si cum dictis armis in quacumque parte persone percusserit cum livore, vel tumefactione in libris decem denariorum, ultra dictam medietatem puniatur pro qualibet percussione cum livore, vel tumefactione. Si vero in capite cum dictis armis percusserit, et ossum ex dicta percussione fractum fuerit in libris ducentis denariorum condemnetur. Et si ex aliqua percussione alicui facta per aliquem, seu aliquam personam aliquod membrum perderetur, vel efficeretur inutile puniatur in libris trecentis denariorum, quos si non solverit infra decem dies a die late

sententie, et condemnationis computandos manus dextra sibi a brachio ejus amputetur, ita et taliter quod a brachio separetur. Si membrum vero non efficeretur inutile totaliter, vel non perderetur, sed debilitaretur puniatur in libris centumquinquaginta den: De qua perditione membri seu debilitatione stetur dicto, et declaratione Medici sibi medentis. . . . . . .

. . . .

Et si cum dictis lapidibus

et vase terreo, vel alia re, vel aliis armis iis similibus percusserit si cum sanguine in capite, vel facie in libr. quinquaginta denariorum condemnetur, et in alia parte corporis in medietate dicte pene; et si cum cicatrice in facie in libris centum denarior. et si sine sanguine in libris 20. denariorum puniatur. Si in facie vel capite percusserit cum aliquo ex dictis armis proxime dictis, si vero in alia parte corporis in libris quindecim denariorum puniatur pro qualibet percussione, et qualibet vice; et si cum ~~aliquo~~ dictis armis, seu aliquo eorum percusserit in facie cum livore vel tumefactione in lib. 30. denariorum puniatur pro qualibet percussione, in alia vero parte corporis in libris 20. denariorum. Si vero percusserit in facie manu vacua vel calce, et sanguis exiverit in libris viginti quinque denariorum pro qualibet percussione puniatur. Si vero cum livore vel tumefactione in libris quindecim denariorum pro qualibet percussione. Si vero sine sanguine, et vel livore in libris 12. denariorum puniatur. Et si percusserit manu vacua in alia parte corporis in medietate dictarum penarum pro qualibet percussione puniatur. — Mulieres autem si percusserint cum aliquo predictorum armorum quorumcumq: condemnentur in medietate penarum in quibus condemnarentur masculi delinquentes in predictis, vel aliquo predictorum. De predictis vero, et qualibet predictorum excipimus minores duodecim annis, et magistros eorum discipulos corrigentes, et cum mo-

deramine percutientes, ac etiam percutientes, et corrigentes Uxores, filios, et alios familiares domesticos in eadem domo, et familia ad unum victum commorantes, et fratres in eadem domo morantes, et inter se predicta committentes quos ad aliquam penam teneri non volumus. Dum tamen predicta commiserint cum moderamine et inculpata tutela, et cum armis non ferreis, et sine vulnere. Si vero predicta, vel aliquod predictorum absque moderamine vel cum armis ferreis vel . . . . cum quocumque predictorum armorum, ferreorum, puniantur in penis arbitrio dicti potestatis. Si vero predicta vel aliquod predictorum commissa fuerint casu fortuito similiter puniantur arbitrio dicti Potestatis.

De pena Spingentis, vel capientis — Rub.ª 18.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis, vel aliqua persona, aliquem, seu aliquam personam ceperit per nasum vel barbam, et sanguis exierit condemnetur in libris quinquaginta denariorum. Si vero sanguis non exierit condemnetur in libris vigintiquinque denariorum. Si vero aliquis ceperit aliquem per capillos, vel spassaverit, et in terram cadere fecerit, si cum sanguine in libris quindecim denariorum condemnetur, et si cum livore, vel tumefactione in libris viginti denariorum puniatur. Si sine sanguine, livore, vel tumefactione in medietate dicte pene videlicet in libr. decem denariorum. Si vero quis aliquem spinxerit, vel spatassaverit, vel ceperit per capillos, et cadere fecerit in terram, si sine sanguine in libr. 12. denariorum. Si vero quis aliquem per terram trahinaverit si cum sanguine in libris vigintiquinque, si sine sanguine in medietate dicte pene vice qualibet condemnetur. Si vero pannos in dorso alicui dilanaverit in libris decem denariorum condemnetur, et in emendatione damni in duplum, et si aliquis alicui extraxerit caputeum, capellinam, seu Biretum de capite

injuriose condemnetur in libris decem denariorum. Si vero aliquis aliquem momorderit, vel sgrafignaverit, seu laceraverit unguibus, si in facie cum sanguine, et sine cicatrice in libris viginti quinque denariorum qualibet vice puniatur. Si cum cicatrice in libris centum denariorum: Si vero in alia parte corporis in libris decem denariorum. Si vero sine sanguine in medietate dictarum penarum excipientes a predictis predictos in dicto proximo suprascripto capitulo, et statuto descriptos et exceptuatos. Mulieres autem semper in predictis condemnentur in medietate dictarum penarum in quibus venirent condemnandi masculi, si predicta commisissent.

De pena portantium arma per Terram Montoni
Rub.ª 19.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus de dicta Terra Montoni, et ejus districtu vel aliunde audeat, vel presumat in ipsa terra, et per ipsam terram quoquo modo portare cultellum aliquem malitiosum, et acutum, Falcastrum, Spontonem, Ensem, Stocchum, Traferum, Dagam, Balistam incordatam, seu corda tensam, et arcum cordatum, seu tensum aptam, et aptum ad sagittandum, Lanceam, Mandariam vel Ronconem, vel aliud ex eis nec alia arma offensibilia, et si quis contrafecerit puniatur pro singulis armis, et qualibet vice in libr: decem den. sine aliqua diminutione. Si vero portaverit Loricam, Brachialia, Guantos ferreos, sive chirotechas Schinarta, vel alia arma defensibilia in dorso vestita iis similia condemnetur in libris quinque denariorum sine aliqua diminutione, et perdat dicta arma, que applicentur Camer. dicti Comunis ipso facto, et pro ipso Comuni vendantur emere volenti majori pretio. Liceat tamen cuilibet magistro lignorum portare per dictam Terram Securem Mandariam et alia ferramenta necessaria ad misterium lignorum artificii in eundo ad aliquod opus dicte

artis et recedendo. Et Potestas dicte Terre nemini possit concedere licentiam aliquam dicta arma portandi per dictam terram sub pena viginti quinque libr. denariorum pro qualibet et qualibet vice sine consensu, et deliberatione dominorum sex, liceat etiam cuilibet tam Terrigene, et districtuali Montoni quam Forensi in eundo foras, et redeundo portare arma tam ligata vel cum Becatella in eundo, et redeundo per rectam viam tamen, et nedubi moram faciendo donec terrigena intraverit ejus domum, seu districtualis, et forensis intraverit hospitium, vel aliam domum in quam ire voluerit; et si in eundo, et redeundo modo predicto non portaverit becatellam in dictis armis, vel ipsa arma ligata, puniatur in solidis decem denariorum qualibet vice, et pro quolibet Fusto, seu petio armorum. Cui Forensi hospes ad cujus hospitium, seu domus fuerit hospitatus statim teneatur dicere quod dimittat arma in hospitio, et non possit per terram, et si hec non dixerit ei, solvat talis hospitator illam penam quam solvere deberet talis forensis pro dictis armis.

De pena auxilientium Malefactores. Rub. 20.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus de dicte Terra vel aliunde in dicta Terra, et ejus Territorio, et districtu audeat vel presumat alicui malefactori dare nec prestare auxilium, consilium vel favorem ad aliquod maleficium committendum, et si contrafecerit puniatur in medietate pene in qua veniret puniendus talis malefactor, salvo quod si pro maleficio veniret imponenda malefactori pena corporalis, tunc prestans auxilium, consilium, vel favorem puniatur realiter, et personaliter arbitrio Potestatis inspecta qualitate facti, loci, temporis, et conditionibus personarum. Salvo etiam quod ubi prestans auxilium, consilium, vel favorem alicui Forensi Malefactori contra Terrigenam, vel

districtualem dicte Terre, quod tunc puniatur eadem pena qua punietur talis malefactor forensis pro maleficio perpetrato.

De pena intrantium, vel exeuntium aliunde quam per Portas. Rub.a 21.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis intraverit, vel exiverit portam dicte Terre de subtus vel desuper non aperta porta vel aliunde quam per portas patentes condemnetur arbitrio Potestatis considerata qualitate facti, et conditione personarum. Excipimus a predictis minores duodecim annis

De pena exterminantium Terras
Rub.a 22.

Item statuimus et ordinamus quod nulla persona cujuscumque conditionis vel status existat audeat vel presumat extrahere, vel mutare aliorum terminum de aliquibus possessionibus vel terris sine consensu et voluntate vicini ad quem spectat vel sine licentia Potestatis, aut sui Vicarii ad penam viginti quinque librarum denariorum sine aliqua diminutione pro quolibet contrafaciente, et qualibet vice, et plus et minus arbitrio dicti Potestatis inspecta qualitate facti, et conditione personarum.

De pena occidentium vel debilitantium animalia aliena. Rub.a 23.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis de dicta Terra, et ejus districtu, vel aliunde occiderit, vel debilitaverit ita quod efficeretur inutile aliquod animal, videlicet Bovem, Vaccam, equum Equam, Mulum, Mulam, Asinum, Asinam, Bufalum, vel Bufalam damnum dantes in possessione propria vel conductam ipsius percutientis condemnetur in libris decem denariorum. Si vero alibi quam in suo damno occiderit, vel debilitaverit ita quod inutile efficiatur condemnetur in libris viginti denariorum. Si vero occiderit vel debilitaverit ita quod inutile fieret aliquod animal parvum, videlicet Porcum, capram, pecudem, vel aliam bestiam sine

suo damno condemnetur in solidis quadraginta denariorum: Si vero alibi quam in suo damno puniatur in solidis centum denariorum et in quolibet casu predictorum damnum emendet damnum passo juxta extimationem infra unum mensem a die quo petitum fuerit ab eo; et si infra dictum mensem non emendaverit cogatur emendare in quarto pluri.

De Pena Vetantium, et acceptantium pignus vel Tenutam Rub.ª 24.

Item statuimus et ordinamus quod nulla persona audeat vel presumat vetare, vel contradicere alicui Bajulo dicti Comunis Montoni aliquod pignus vel tenutam pena quinque solidorum den: cuilibet contrafacienti; et quicumque per vim abstulerit Pignus, vel tenutam Bajulo per eum acceptam sive acceptum condemnetur qualibet vice in quinque libris denariorum, et talis vetatio sive reaceptio Pignoris credatur relationi Bajuli cum uno Teste.

De Pena Extrahentium aliquem de Possessione. Rub.ª 25.

Item statuimus et ordinamus quod si quis de facto, et sine licentia Potestatis, vel ejus Vicarii ejecerit, vel extraxerit aliquam personam de possessione alicujus rei vel rerum mobilium, vel immobilium condemnetur in libris decem denariorum, et ad restitutionem possessionis. Si vero quis turbaverit, vel molestaverit aliquem possessorem alicujus rei seminando, vel aliter laborando vel quocumque alio modo tenendo, vel utendo per se, vel alium sine Decreto Potestatis, vel Vicarii, condemnetur Comuni dicte Terre Montoni in libris decem denariorum non obstante quod adversarius habeat aliquem titulum justum vel injustum, et in utroque casu, turbato, seu dejecto de possessione redditus et fructus ex ea perceptos restituat sive apud eum sit ablata possessio sive non, et si quis de facto fuerit levatus de possessione, de facto

remittatur, et reponetur in eam per dictum Potestatem, vel ejus Vicarium, et si ille qui abstulerit non restituerit ipsam possessionem et fructus perceptos et qui percipi potuerint ex ea, condemnetur in libr. 25. denariorum, et detentus teneatur in palatio, vel carceribus Comunis donec restituerit, et expensas ei refecerit; sed in hoc servetur conventio facta inter dominum, et laboratorem terrarum, et habitatores domorum qui penam minime patiantur. Sed si quis laboraverit terram illam, vel possessionem, et talem domum habitaverit postquam fuerit prohibitum solvat dicto Comuni solidos centum denariorum qualibet vice exceptis laboratoribus qui mittantur pro pretio ad laborandum
vel ejus districtu.

De pena mittentium ignem in aliqua possessione. Rub.a 26.

Item statuimus et ordinamus quod nulla persona studiose mittat ignem in aliqua domo sua vel aliena, vel in aliqua capanea, vel casina, vel aliis rebus iis similibus in dicta terra vel ejus districtu ad penam centum librarum denariorum, et plus et minus arbitrio D.ni Potestatis, inspecta qualitate facti, et temporis, et loci, et personarum conditione, et semper teneatur damnum emendare damnum passo infra unum annum a die combustionis si actitatum fuerit. Elapso vero dicto anno, et dicta emenda non petita fuerit ab inde in posterum pati non possit.

De Pena Falsi. Rub.a 27.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis in dicta terra fabricaverit, aut fabricari fecerit falsam monetam igne comburatur, ita quod moriatur, et ejus anima a corpore separetur. Si vero quis scienter expenderit falsam monetam vel bonam totonderit condemnetur in libris ducentis denariorum. Si vero fabricaverit, vel fabricari fecerit falsum instrumentum puniatur eadem

pena ducentarum librarum, et plus, et minus arbitrio Potestatis inspecta qualitate facti, et conditione personarum. Si vero aliquis tulerit, vel ferre fecerit aliquod falsum testimonium in aliqua causa civili; vel criminali puniatur in centum libris denariorum, et plus, et minus arbitrio Potestatis inspecta qualitate facti, et conditione personarum. Si vero aliquis aliam speciem falsitatis commiserit condemnetur in libris quinquaginta denariorum, et plus, et minus arbitrio dicti Potestatis. Si quis autem simpliciter perjuraverit seu denegaverit omnipotentem Deum, ejus Matrem, vel Sanctos, et Sanctas ejus dejerando puniatur in libris decem denariorum pro quolibet, et qualibet vice.

De Pena facientium Robarias, vel Furta.

Rub.ª 28.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis in strata vel via publica terre predicte, vel ejus comitatus, et districtu commiserit vel fecerit aliquam robbariam, seu defraudationem rei, vel rerum valoris, et estimationis centum solidorum denarior., et ab inde infra condemnetur in libris centum denariorum. Si vero fuerit valoris, et estimationis a centum solidis supra usque in decem libras denariorum, condemnetur in libris ducentis denariorum. Si vero fuerint valoris, et estimationis a decem libris denariorum supra usque in vigintiquinque libras denariorum in libris tricentis condemnetur. A viginti quinque libris denariorum supra cujuscumque valoris, et estimationis existat condemnetur in libris tricentis denariorum, quas penas si delinquens non solverit infra decem dies a die late sententie numerandos ei manus dextera debeat amputari. Si vero quis derobaverit duabus vicibus pro dicta secunda vice condemnetur in duplum ejus quo condemnaretur pro prima robbaria. Si vero derobaverit tribus vicibus, tunc talis delinquens furcis laqueo suspendatur ita quod moriatur. Si vero robbarie et depredationes

predictę factę fuerint alibi quam in stratis, et viis pubblicis tunc in medietate dictarum pęnarum condemnetur preterquam ubi veniret pęna sanguinis imponenda, quo casu puniatur ut supra, videlicet furcis laqueo suspendatur. Et intelligatur depredatio, seu robbaria esse commissa si quis armatus, et violenter aliquam rem alicui acceperit. Si vero sine armis alicui aliquis, aliquam rem, vel res violenter abstulerit cujuscumque valoris fuerit puniatur arbitrio Potestatis usque in centum libr. denariorum considerata qualitate facti, temporis, et conditione personarum. Si vero quis in terra predicta vel ejus districtu furtum fecerit alicujus rei, vel rerum valoris, et estimationis viginti solidorum, et ab inde infra puniatur arbitrio potestatis dummodo non excedat quantitatem vigintiquinque librar. denariorum. Si vero quis furatus fuerit rem valoris a viginti solidis usque in centum solidos denariorum condemnetur in libris quinquaginta denariorum. Si vero fuerit valoris, et ęstimationis a centum solidis usque ad decem libras in libris centum condemnetur. Si vero a decem libris denariorum usque in libr. vigintiquinque condemnetur in libris 150. den. Si vero fuerit valoris, et ęstimationis a viginti quinque libris denariorum supra usque in quinquaginta libras denariorum, condemnetur in libras ducentis denariorum. Si fuerit valoris a quinquaginta libr. denariorum usque in centum puniatur in libris trecentis denariorum. A centum vero libr. supra cujuscumque valoris, et ęstimationis fuerit res furata condemnetur in libris quingentis denariorum. Quas pęnas si non solverit infra decem dies a die latę sententię numerandos fustigetur per dictam Terram, et stet ligatus in Scalis Palatii dicti Comunis ad catenam ferream ante carceres dicti Comunis existentem per tres horas. Si vero quis duabus vicibus furatus fuerit puniatur in duplum ejus quo pro primo furto puniretur

quam penam si non solverit infra dictum terminum fustigetur ut supra, et eidem manus dextera amputetur. Si vero tribus vici- bus furatus fuerit vel pluribus furtis laqueo suspendatur, et in quolibet casu predictorum semper condemnetur delinquens ad restituendum res furatas, et derobatas, et furto subtractas da- mum passo in duplum. Excipimus a predictis, et quolibet predicto- rum minores quatuordecim annis, quos in predictis puniri no- lumus nec teneri. Et quod supra diximus de furantibus, et de- robantibus in dicta Terra Montoni, et ejus Territorio, idem di- cimus de furantibus, et derobantibus extra dictam Terram, et comitatum Montoni, qui res furatas, et derobatas apportave- rint, et contractaverint in dicta Terra, et ejus districtu. Et idem dicimus de prestantibus auxilium, consilium, vel favorem de- linquentibus in dictis Furtis, et robbariis.

Quod de Maleficiis de quibus non esset pena determinata super quibus procedatur de similibus ad Similia

Rub.a 29.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliqua persona fe- cerit aliquod malefisium, vel dixerit alicui aliquam injuriam de quo, vel qua non sit ordinata pena in presentibus Statutis procedatur contra eum et condemnetur per prefatum Pote- statem de similibus ad similia assimilando illam penam pe- ne   cui assimilationi facte per prefatum Dnum Potestatem, vel ejus Vicarium stetur, et credatur, et nullatenus ullo quesito, colore infringi possint, nec annullari, immo valeat, et teneat ac si esset sic, et taliter determinata dicta pena in dictis Statutis, et si si- milis non reperiretur per ipsum Potestatem tunc procedatur secundum Juria comunia; et si per Juria comunia non repe- riretur de tali malefitio aliqua pena determinata, tunc et eo casu procedatur, et condemnetur arbitrio dicti Potestatis.

De Mitigationibus Penarum
Rub.ª 30.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque accusatus inquisitus, vel denunciatus contra quem procederetur de aliquo maleficio, vel injuria per dictum Dnum Potestatem, et ejus Curiam sponte confessus fuerit tale maleficium vel injuriam in prima sua responsione, et excusatione quam faciet in judicio super tali processu, vel maleficio, et injuria relaxetur tali delinquenti, et confitenti quarta pars pene qua veniret condemnandus secundum formam dictorum Statutorum. Et si pacis instrumentum produxerit relaxetur producenti alia quarta pars pene ut infra continetur. Et si suam condemnationem solverit infra terminum decem dierum a die late sententie numerandorum, relaxetur eidem alia quarta pars dicte pene ita quod ex confessione et pace modo predicto ejus condemnatio ad medietatem pene reducatur. Item quod de omnibus, et singulis maleficiis, culpis, delictis, excessibus, et injuriis committendis super quibus per dictum Potestatem et ejus Curiam procederetur inter discordes et delinquentes Pax fieret, et pacis instrumentum in Judicio procederetur coram Potestate, et ejus Curia, vel ipsa pax fieret coram dicto Potestate vel ejus Vicario quandocumque ante latum sententiam sibi relaxetur alia quarta pars sue condemnationis in qua veniret condemnandus ex forma dictorum Statutorum, ut supra premittitur. Itaque habens tria dicta ~~terna~~ beneficia scilicet confessionis, pacis et solutionis in terminum solvat, et solvere teneatur quartam partem tantum ejus quo puniri deberet secundum formam dictorum Statutorum. Et instrumentum pacis sit plena probatio commissi maleficii, vel delicti.

De Maleficiis in quibus Pax facta non prosit. Rub. 31.

Item statuimus, et ordinamus quod in homicidiis, et percus-

sionibus in quibus manus, vel pes, vel aliud membrum abscissum et devastatum fuerit, et invasoribus stratarum, prodimento, et crimine falsitatis pax delinquenti non prosit nec admittatur per prefatum Potestatem, et ejus Curiam, et si admitteretur non valeat ipso jure.

De Duplicatione penarum
Rub.a 32.

Item statuimus, et ordinamus quod in omnibus et singulis maleficiis, excessibus, culpis, et delictis pene duplicentur si dicta maleficia, et delicta fuerint commissa in aliqua Ecclesia dicte Terre Montoni, vel in Palatio, seu habitatione, et residentia dicti Potestatis, vel in scalis dicti Palatii, vel coram dicto Potestate, vel ejus Vicario, vel in platea Comunis dicte Terre, vel in domo, aut ante domum offensi, et injuriam passi, vel in diebus Paschalibus cum duobus diebus sequentibus, vel in diebus dominicalibus, vel noctis tempore, vel in loco nuptiarum, aut funeris, vel in alio loco ubi jus redditur per dictum potestatem, et ejus Vicarium, vel in die Veneris Sancti. Et intelligatur nox ab occasu solis, usque ad ortum in quibus omnibus, et singulis casibus supradictis pene duplicentur.

Quod nulla Conjura, vel Conventicula fiat.
Rub.a 33.

Item statuimus, et ordinamus quod pro bono, et pacifico Statu Sanctissimi D. N. Pape, et S. Matris Ecclesie, et Comunis, et hominum dicte Terre Montoni, nulla conjura, conspiratio, conventicula, compagnia, seu societas, aut secta fiat in terra predicta, et suis pertinentiis. Et si quis contrafecerit in committendo aliquod predictorum puniatur, et condemnetur in libris quingentis denariorum, et qui dederit consilium auxilium vel favorem, ut predicta fiant in libris ducentis denar. et predicta vindicent sibi locum ad futura tantum in quibus

casibus Potestas habeat plenum arbitrium, et possit tales delinquentes punire, et condemnare, prout sibi videbitur et placebit, et de tali condemnatione sindacari non possit; et si in predictis vel aliquo predictorum negligens fuerit solvat de suo salario libras centum denariorum pro qualibet, et qualibet vice.

De pena committentis Maleficium per quod rumor esset in Terra. Rub.a 34.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis commiserit aliquod maleficium propter quod rumor esset in Terra predita ita quod Campana Comunis pulsantur ad martellum, vel Comunitas, aut major pars ipsius Comunitatis Montoni veniret ad arma: talis delinquens puniatur in duplum ejus quo condemnari deberet vel posset ex forma dictorum Statutorum, et plus, et minus realiter, et personaliter arbitrio Potestatis, inspecta qualitate facti, et temporis, et conditione personarum. Item quod nullus offensus cujuscumque conditionis existat tempore alicujus maleficii commissi, vel alio tempore audeat, vel presumat exclamare ad arma ad arma ad penam ducentarum librarum denariorum, et plus et minus arbitrio dicti Dni Potestatis, inspecta qualitate facti, loci, temporis, et conditione personarum. Et si aliquis rumorem fecerit in dicta Terra ex quo sequi, et fieri posset tumultus in populo, vel scandalum aliquod, aut maleficium, aut posset verosimiliter Status S. Matris Ecclesie in dicta Terra, vel dicti Comunis turbari in quo rumore, vel ad quem rumorem essent vel haberent ultra numerum decem personarum, condemnetur in libris quingentis denariorum, et plus et minus arbitrio Potestatis.

De pena frangentis Loca Religiosa Rub.a 35.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis fregerit aliquem locum religiosum, Dominarum Sororum, seu Monialium, vel

Fratruum religiosorum cujuscumque Ordinis seu habitus sint, et ipsum locum intraverit violenter, et contra bonos mores, siquidem de die condemnetur in libris quingentis denariorum: et si de nocte in libris mille denariorum. Quas penas si non solverit infra 10. dies a die late sententie numerandos, eidem manus dextera sive pes dexter amputetur, ita et taliter quod a corpore separetur. Item si quis cujuscumque status, et conditionis existat, inventus fuerit per Officialem, vel familiam Potestatis dicte Terre, vel ipsum Potestatem loqui cum illis dictis monialibus stantibus in dicto Monasterio, et domibus, vel horto, aut circumstantiis sive Ecclesia dicti Monasterii sine expressa licentia Potestatis condemnetur in solidis centum denariorum.

De pena euntium ad domum alterius violenter.

Rub.° 36.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat, et presumat in dicta Terra, vel ejus districtu ire de die, vel de nocte ad domum alicujus auctoritate propria ad preliandum ipsam domum vel existentes in ea, vel ignem immittendum in dictam domum pro vindicta facienda vel injuria inferenda; et qui contrafecerit in libris quingentis denariorum condemnetur; et plus et minus realiter, et personaliter ad arbitrium dicti Potestatis, et emendationem dupli damnum passo. Si vero quis Hostia alicujus domus fregerit, vel domum alicujus violenter intraverit puniatur in libris centum denariorum, et associantes, vel auxilium prebentes in predictis vel aliquo predictorum in medietate dictarum penarum. Statuentes insuper quod si aliquis invenerit aliquem, vel aliquam in domo sua propria, vel conducta suspectos tempore noctis vel quandocumque surripientes res ejus, et malo modo accipientes, vel uxorem aut aliquem de sua familia surripientes, vel violare volentes ipsam, vel ipsam capere possit, et dicto Potestati Montoni de-

nuntiare, et assignare, et si in capiendo percusserit eum, vel eam cum sanguine vel sine etiam si mortuus fuerit ex tali percussione dictus capiens vel percutiens in aliquo puniri vel condemnari non possit, et de predictis stetur juramento percutientis, scilicet quod eum, vel eam invenerit in domo propria vel conducta facientem vel attentantem cum duobus testibus, vel pubblica voce, et fama contrate in qua predicta commissa fuerint.

De Vitio Sodomitico

Rub.^a 37.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus audeat vel presumat vitium Sodomiticum committere, et perpetrare, et si contra fecerit pro prima vice puniatur, et condemnetur in libris quingentis, et pro secunda vice in libris mille denariorum. Et si ultra duas vices dictas, vitium dictum commiserit condemnetur ad mortem ita quod igne comburatur, in quibus penis condemnetur quilibet patiens voluntarius, et major quatuordecim annis. Sed si fuerit minor quatuordecim annis patiens . . . voluntarie puniatur in libris vigintiquinque denariorum pro prima vice, et in libris quinquaginta pro secunda vice, et in libris centum pro tertia vice, et pro qualibet vice abinde in posterum dum tamen puer non sit minor decem annis.

De pena Adulterii, Stupri, Incestus et Violentie Mulierum. Rub.^a 38.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis vim intulerit alicui mulieri nupte vel Virgini carnaliter eam cognoscendo contra ejus voluntatem capite puniatur. Si autem eas per vim carnaliter eam cognoscere attentaberit, si cum effectu, condemnetur in libris . . . denariorum, si in domo sue habitationis. Si vero extra dictam domum condemnetur in libris tricentis denariorum. Si vero quis cogno-

verit aliquam virginem, vel maritatam de voluntate ipsius mulieris siquidem in domo habitationis ipsius mulieris condemnetur in libris quingentis denariorum. Si vero extra dictam domum in ducentis libris condemnetur. Si vero quis cognoverit per vim carnaliter aliquam mulierem viduam, vel aliam honeste viventem siquidem in domo habitationis talis mulieris in libris tricentis denariorum condemnetur. Si vero extra domum in ducentis libris denariorum. Si autem aliquis cognoverit carnaliter aliquam viduam, vel aliam honeste viventem de voluntate ipsius mulieris siquidem in domo habitationis talis mulieris condemnetur in libris centum denariorum. Si vero extra domum in libris quinquaginta denariorum. Salvo quod si aliquis cognoverit, vel cognoscere attentaverit aliquam virginem, viduam, vel aliam honeste viventem, et ille talis possit de Jure illam accipere in uxorem, si quidem mulier corrupta, vel corrumpi attentata de voluntate patris sui, si patrem habet, vel avum, si avum habet, vel fratrum, si fratres habet, vel trium prossimiorum consanguineorum si quos habet vellet capere, et acciperet in maritum talem corrumpentem, vel corrumpere attentantem, quod tunc ad dictam penam, vel aliquam earum, nullatenus talis delinquens teneatur, et predicta, et quelibet predictorum non vindicent sibi locum in famulis vel servientibus alicujus, et etiam in mulieribus male fame vel meretricibus si voluntarie passe fuerint carnaliter se cognosci. Si autem carnaliter fuerint cognite violenter, vel attentate, tunc puniatur cognoscens et attentans in quantitate centum librarum denariorum, et minus arbitrio Potestatis usque in libris decem denariorum inspecta qualitate facti, loci, temporis, et conditione personarum. Et si fuerit mulier maritata qua permiserit carnaliter se cognosci contra volun-

tatem sui viri suas dotes amittat ipso jure quæ viro debeant effectualiter applicari, et ad repetitionem ipsarum dotium dicti mulieri vel alio contra ejus virum nullum jus competat. Si vero quis carnaliter cognoverit aliquam Monialem, vel Religiosam in Monasterio, vel loco Religioso capite puniatur. Si vero de voluntate dictæ Monialis vel religiosæ in quingentis libris denariorum condemnetur. Si vero quis carnaliter non cognoverit, sed cognoscere attentaverit dictas Moniales vel Religiosas siquidem in Monasterio, et loco religioso, et violenter in quingentis libris denariorum condemnetur. Si vero extra Monasterium in libris ducentis denariorum. Si vero quis commiserit incestum cum aliqua sua consanguinea quam de jure capere non posset in uxorem, vel cum aliqua commatre puniatur in libris quingentis denariorum, si de voluntate talis commatris, et consanguineæ, et in medietate dictæ penæ condemnetur ipsa commater, et consanguinea, quæ dictum incestum voluntarie paterentur, si autem per vim eas quis cognoverit capite puniatur. Volentes insuper quod in predictis adulteriis stupris, et incestis voluntarie ex utraque parte commissis, et quolibet ipsorum, Potestas per inquisitionem ex suo Officio procedere non possit nisi ad querelam, denuntiam, et accusam viri ejus, si virum habet vel patris Mulieris si patrem habet, vel avi, vel fratris si habet, vel proximi sui consanguinei, si aliquem ex predictis talis mulier non haberet.

De pena committentis Homicidium
Rub.a 39.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliqua persona occiderit, vel occidi fecerit, seu mandaverit aliquam personam in terra Montoni predicta, vel ejus districtu pena capitis puniatur, et omnia bona ejus applicentur dicto Comuni

pro dimidia, et pro reliqua dimidia heredibus talis occisi si heredes habet, si vero non habet aliquem ad quem pertineat de Jure ejus hereditas, tunc omnia dicta bona dicto Comuni applicentur, et confiscentur. Si vero talis homicida haberi non poterit exbanniatur, et condemnetur in supradicta pena, de quo banno nullo unquam tempore possit exire, sed si quo tempore pervenerit in fortiam dicti Comunis, seu Potestatis dicte Terre in dicta pena puniatur. Sed si aliquis prestiterit alicui auxilium, vel favorem ad dictum homicidium perpetrandum condemnetur in mille libr. denariorum, et si dictam penam non solverit infra decem dies a die late sententie computandos pena capitis puniatur. Item si aliquis in dicta Terra, vel ejus pertinentiis homicidium commiserit aliquod pro aliquo pretio traginetur per dictam terram ad caudam equi, muli, vel . . .
et suspendatur per gulam ita quod moriatur, et omnia sua bona confiscentur in Comuni. Si vero pro dicto pretio aliquod membrum alicui inciserit, vel debilitaverit debilitatione talis membri ejus condemnetur in libris quingentis denariorum. Si vero feritam fecerit ex aliquo pretio sed non interfecerit vel membrum non inciserit, aut non debilitaverit in libris quingentis denariorum. condemnetur pro qualibet ferita, seu vulnere, et qualibet vice.

De pena Maledicentis Deum, et Sanctos, vel Jurantis. Rub.ª 40.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat vel presumat blasphemare, seu maledicere Omnipotentem Deum, vel Beatam Virginem Mariam Matrem ejus, vel aliquem Sanctum, aut Sanctam ejus, nec ei, vel eis, aut alicui ipsorum aliquid injurie vel opprobrii dicere, vel facere ullo modo, nec etiam alia verba equipollentia in eos prorumpere in loquendo vel faciendo. Contra vero facientes, si contra Deum

vel Matrem ejus dixerit, vel fecerit solvat dicto Comuni pro qualibet vice libras decem denariorum. Si vero contra aliquem Sanctum, vel Sanctam ejus in medietate dicte pene pro qualibet vice, et quolibet Sancto, vel Sancta condemnetur, et possit a quolibet denuntiari, et accusari publice, vel private. Si vero juraverit per aliqua membra inhonesta Dei, Christi, Virginis Marie, et Sanctorum, et Sanctarum ejus puniatur, et condemnetur in dictis penis. Si vero juraverit per per Corpus, vel Sanguinem vel alia membra honesta condemnetur in solidis 20. denarior. pro qualibet vice, et quolibet membro nominato. Et si ille in cujus domo, hec dicta, et facta fuerint non denunciaverit predicta Potestati vel ejus Vicario puniatur similiter in dictis penis; et si aliquis Juraverit per aliqua membra honesta aliquorum Sanctorum vel Sanctarum Dei condemnetur in solidis decem denariorum pro quolibet membro, et Sancto, vel Sancta nominatis, et habeat quilibet accusator tertiam partem dictarum penarum, et teneatur secretus, dummodo probetur per duos testes, vel unum ad minus bone fame, et si aliquis ad predicta presens fuerit, et ab officialibus interrogetur cum sacramento, et non dixerit veritatem dictis penis subjaceat, et condemnetur. Si vero aliquam figuram representantem Omnipotentem Deum, et Christum filium ejus, vel ejus Matrem Virginem Mariam, vel aliquem Sanctum, vel Sanctam ejus quis percusserit vel denuntiaverit in libris quingentis denariorum condemnetur. Quam penam si infra decem dies a die late sententie computandos talis delinquens non solverit sibi manus dextera a brachio amputetur.

De pena Offendentium Potestatem, vel ejus Vicarium. Rub.ca 41.

Item statuimus, et ordinamus quod nemo audeat, vel presumat offendere Potestatem, vel Vicarium dicte Terre Montoni,

vel eis injuriam inferre dicto, vel facto, et qui contra fecerit condemnetur in triplo ejus quo condemnari deberet, si factum fuerit contra aliquem Montonensem. Si vero contra aliquem ex familiaribus dicti Potestatis condemnetur delinquens in ea pena in qua condemnari deberet si contra Montonensem commisisset. Et de injuriis factis dictis Potestati, Vicario, et familiaribus possit ipse Potestas vel Vicarius procedere ex suo Officio, et delinquentes condemnare capitulo aliquo non obstante. Et si predicti Officiales, et familiares offenderent aliquem de dicta Terra, vel ejus districtu puniantur in duplo ejus quo condemnari deberet quilibet Montonensis si talia contra Montonensem commisisset. Salvo quod si pro exequtionibus et exercitio eorum Officii aliquem offenderint se defendentem, et obedire repugnantem, si non vulneraverint ad penam aliquam minime teneantur. Et similiter non teneantur ad penam si predicta, vel aliquod predictorum commiserint contra aliquem in seipsos defendendo. Et si vulneraverint talem repugnantem obedire, teneantur solvere illam penam quam solveret Montonensis; et si vulneraverint aliquem exbannitum in capiens eum obedire, et capi repugnantem non teneantur ad aliquam penam.

De pena rumpentium Pacem.

Rub.a 42.

Item statuimus, et ordinamus quod omnes et singule paces facte, et que fierent in futurum inter aliquos Montonenses, vel districtuales de aliquibus injuriis vel offensis a partibus serventur, et firme semper remaneant. Nullus quoque audeat, vel presumat ipsas paces, vel aliquam ipsarum rumpere, seu eam in aliquo derogare, vel contra pacta, et promissiones modo aliquo venire, et quilibet contractus, promissiones, et pacta pacis quomodocumque facta valeant, et teneant aucto-

ritate presentis Statuti, et Canonum, ac Capitulis, et exceptionibus aliquibus non obstantibus, et qui contrafecerint in pacem predictam non observando condemnetur in penis in instrumentis pacis, et promissionibus contentis, et ultra dictas penas condemnetur in libris centum denariorum dicto Comuni. Volentes quod pax de quo non appareret instrumentum probetur, et probari possit per duos testes ad minus, et si in dicta pace de qua non apparet Instrumentum sed probaretur per testes non esset objecta aliqua pena: talis delinquens, et rumpens dictam pacem condemnetur in duplo ejus quo condemnari deberet de maleficio, vel excessu per eum commisso secundum formam dictorum Statutorum, ad quam penam solvendam volumus quod teneatur pater pro filio. Et si talis rumpens pacem solvens non esset, mittatur ad confinia, et religatur ubi, et pro illo tempore quod videbitur, et placebit dicto Potestati, et Dominis Sex de regimine dicte Terre. Et si talis confinatus et relegatus fregerit confinium in non servando mandata dictorum Potestatis, et Dominorum Sex, tunc ponatur in banno de dicta Terra, ejusque fortia et districtu in libris quadringentis denariorum, quam penam si non solverit talis exbannitus infra decem dies a die quo venerit in fortiam dicti Potestatis computanz. amputetur sibi pes dexter, et in predictis, et quolibet predictorum possit procedere dictus Potestas ex suo officio, et condemnare, et punire delinquentes in penis predictis.

De pena incipientium Rixas

Rub.ª 43.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque fuerit inceptor alicujus rixe ex qua percussio cum sanguine, vel sine sanguine sequeretur, condemnetur in libris decem denariorum pro tali inceptione, et principio ultra penam commissi maleficii.

De pena proponentium, arrengatium, et scribentium ut Potestas, vel Vicarius refirmetur. Rub.a 44.

Item statuimus et ordinamus quod nullus de dicta terra Montoni, vel ejus districtu audeat, vel presumat in aliquo consilio proponere, vel proponi facere, consulere, vel arrengare vel super re firma aliquid scribere, videlicet quod Potestas, vel ejus Vicarius refirmetur in ipsa terra ad dictum eorum officium pena centum librarum denariorum cuilibet contrafacienti in predictis, vel aliquo predictorum, et nihilominus talis proponens, vel proponi faciens, consulens, arengans, et scribens, et quilibet eorum priventur eorum officio, et beneficio dicti comunis per decem annis tunc proxime subsequentes, et talis quidem electio, seu refirmatio non valeat immo sit ipso jure nulla.

De pena contrahentium matrimonium cum aliqua muliere contra voluntatem patris, vel suorum. Rub.a 45.

Item statuimus, et ordinamus quod nemo audeat, vel presumat matrimonium aliquod per verba de presenti cum aliqua muliere, contrahere nec promissiones Matrimonii facere sine presentia voluntate, et consensu patris dicte mulieris si patrem habeat, aut avi si avum habeat, vel sine presentia fratruum si patrem vel avum non haberet, vel sine presentia, ~~fratruum ejus si~~ et voluntate trium ad minus ex proximioribus consanguineis utriusque partis si patrem, avum, vel fratres non haberet, et nullus notarius audeat, vel presumat tales promissiones matrimonii contrahendi sine presentia, consensu, et voluntate predictorum scribere, vel se rogare, et nullus testis adesse possit nisi hec omnia, et singula facta fuerint cum presentia, et consensu predictorum, et qui contrafecerit in predictis vel aliquo predictorum in libris ducentis denariorum condemnetur, et possit a quolibet accusari, et teneatur in secre-

tum dummodo predicta probentur legittime.

De pena recipientium exbanditos, et auxilium prestantium

Rub.a 46.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus de dicta Terra Montoni, vel ejus districtu audeat, vel presumat quoquemodo seu aliquo quesito colore aliquem exbandictum de dicta terra, et ejus districtu receptare, seu ei auxilium, consilium, vel favorem aut cibum, vel potum prebere pena centum librarum denariorum in quibus condemnetur si talis exbanditus condemnatus fuerit pena personali, sed si fuerit exbanditus ex proditione dicte Terre, et crimine lese majestatis condemnetur in eadem pena talis receptans vel prestans auxilium, consilium, vel favorem, vel dans cibum, et potum in qua condemnatus et exbannitus et esset talis exbanditus. Receptans vero exbanditos condemnatos in pena pecuniaria, vel auxilium, consilium, vel favorem eis prebentes vel potum, seu cibum dantes condemnetur in libris vigintiquinque denariorum pro quolibet exbandito, et qualibet vice.

De pena corrumpentium Officiales.

Rub.a 47.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque aliquem officialem Comunis dicte Terre Montoni ausus fuerit vel attentaverit corrumpere quoquomodo solvat comuni predicto libras viginti quinque denariorum sine aliqua detractione in quibus condemnetur per dictum Potestatem et officiales qui passi fuerint se corrumpi simili pena puniantur.

De pena transeuntis ante domum interfecti.

Rub.a 48.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque homicida commiserit aliquod homicidium, et ipso homicidio fuerit rebanditus ante domum heredum talis interfecti nullatenus debeat per-

transire, et si dictus homicida contrafecerit in decem libris denariorum qualibet vice condemnetur, et a quolibet posse accusari, et si dicta domus interfecti, et heredum ejus fuerit in contrada, et prope domum homicide talis homicida ad dictam penam minime teneatur. Item si dictus homicida vellet emere aliquam domum prope domum interfecti, vel heredum ejus emere non possit sine licentia, et voluntate dictorum heredum, et Domini Potestatis, et si contrafecerit in dicta pena puniatur.

De pena minorum 14. annorum mitiganda.

Rub.a 49.

Item statuimus, et ordinamus quod si minor quatuordecim annis, etiamsi capax doli fuerit contra aliquam personam deliquerit, vel aliquod maleficium commiserit puniatur cum temperamento arbitrio Potestatis inspecta qualitate delicti, temporis, loci, et conditione personarum, et si dictus minor a die prime citationis ejus ad se excusandum infra quindecim dies pacem haberet cum offenso, et instrumentum pacis produxerit ad nullam penam teneatur. Et idem dicimus de offendentibus minores habentibus infra dictum terminum pacem cum eis.

Quod nullus laborator possit extrahere bladum de possessione, seu mustum de vinea. Rub.a 50.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque Terrigena, vel Forensis quoquo modo laboraverit Terras alienas, vel vineas locatas eidem ad laboratum, et partem non audeat quoquomodo bladum extrahere de campo, nec vineam vindemiare, aut mustum vel uvas de vinea extrahere, nec etiam ipsum bladum triturare nisi primo dominum possessionis vel vinee requisiverit, seu locatorem ab eo, ad quem spectaret, licentiam haberit, vel nisi dominus rei presens fuerit si adesse voluerit. Contra vero faciens in quadraginta solidis denariorum vice qualibet conde-

netur, et quilibet possit denuntiare, et accusare, et habeat partem dite pene: et si laborator alicujus possessoris laborative vel vineate dominum ipsius rei requisiverit quod vadat ad videndum extrahere, et triturare bladum, et vineam vindemiare, et sibi tempus sive diem assignaverit quo vadat ad videndum predicta, et dnus predictus non iverit quod dicto termino elapso ipse laborator possit, et sibi liceat bladum extrahere, et triturare, et vineam vindemiare absentia domini predicti non obstante.

Quod Jus laboratorum sit Salvum.

Rub.a 51.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque locaverit alicui ad coptimum, vel ad laborerium terram aliquam sive vineam pro certo tempore, et ipse dictam rem locatam, post dictam locationem, alicui vendiderit, donaverit, vel alio modo alienaverit hujusmodi venditor alienator, vel permutator debeat jus laboratoris ad integrum reservare ita quod laborator ipse de suo jure nullum damnum sustineat. Contra vero faciens solvat Comuni pro banno vice qualibet soldos centum denariorum. Cujus pene, sive banni medietas sit accusatoris, et nihilominus jus laboratoris, et coptimarii sit salvum.

Quod nullus recipiat jus cessum contra Comune, vel alias Speciales personas. Rub.a 52.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus contra Comune nec Speciales Personas ipsius Comunis Terre Montoni ab aliquo Forense jus aliquod aliquo titulo recipiat quoquo modo de aliqua re. Contra vero faciens in decem libris Comuni vice qualibet condemnetur; cujus banni medietatem habeat accusator, et tale jus non valeat ullo modo, et supra ipso jure cesso in Curia Comunis Montoni non audiatur nisi illud relictum, et legatum fuerit in ultima voluntate, salvo quod si de voluntate Potestatis, et Dnorum Sex dicte Terre predicta processerint; quod recipiens, et

dans tale jus ad penam aliquam minime teneatur.

De pena petentium Debitum jam solutum.
Rub.a 53.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque petierit debitum jam solutum sibi, vel alteri pro eo satisfactum sibi dari solvi, vel restitui a Comuni vel Sindico dicte Terre, vel etiam ab aliquo vel aliquibus quibuscumque specialibus personis postquam Potestati, vel Vicario per probationem legitimam claruerit coram ipso pro parte Comunis, vel specialem personam talis petens in quadruplum illius summe jam solute, que petita fuerit condemnetur. Cujus pene medietas sit Comunis, et alia medietas partis contra quam fuerit petita dicta quantitas per dictum Potestatem condemnetur, et omnes expensas illi contra quem petierit sine Sacramento restituat antequam de palatio residentie D. Potestatis recedat.

Quod nullus Forensis male fame moretur in dicta Terra.
Rub.a 54.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus Forensis male conditionis, et fame, vel exbanditus pro prodimento sue Terre moretur in dicta Terra Montoni, et ejus districtu sine expressa licentia Potestatis, et Dnorum Sex dicte Terre postquam sibi fuerit mandatum per Potestatem dicte Terre. Contrafaciens in vigintiquinque libr. denariorum condemnetur.

Quod nullus frangat Clausuram, seu formulam Molendini. Rub.a 55.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus audeat frangere Clausuram alicujus Molendini .i. in ipsa aliquod impedimentum prestare, vel facere, nec extrahere aquam de Clausura vel formula ipsius, nec aliquam immunditiam in eam projicere vel immittere sine expressa licentia Dnis cujus fuerit; contrafaciens vero in centum solidis denariorum condemnetur, et in

emendatione damni Domini ipsius edificii, et quod nullus debeat auferre, et cavare atque exportare lapides de lecto fluminis juxta dictam clausuram per sex Cannas a latere superiori et duodecim ab inferiori pena solid. quinque denariorum pro qualibet Salma.

Qualiter dentur fidejussores de non offendendo.
Rub.a 56.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis dubitaverit de aliquo, scilicet ne offenderetur ab eo in persona, vel rebus, et petierit talem cogi ad comparendum coram Potestate, vel ejus Vicario ad dandum fidejussores de non offendendo sibi in persona vel rebus, Potestas, vel Vicarius teneatur et debeat ipsum cogere ad prestandum, et prestare faciendum idoneam cautionem, et fidejussores de non offendendo eum qui dubitaverit in persona nec rebus per se, vel alium quoquomodo. Qui si dictos fidejussores non prestiterit vel dare contempserit detineatur sub bona custodia carceratus, donec fidejussorem, et cautionem idoneam dederit, qui per Camerarium dicti Comunis approbetur, et Potestas, vel Vicarius
fidejussores ad adimplendum predicta arbitrio ipsius Potestatis vel Vicarii, et si quis malitiose petierit tales fidejussores sibi dari de non offendendo puniatur in libris viginti quinque denariorum.

De pena Sgrottantium terram alienam.
Rub.a 57.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque haberet terram, seu Possessionem juxta rem, seu Possessionem alicujus vicini, et malitiose subtraxerit, et subgettaverit Terram seu possessionem dicti sui vicini, vel laboraverit taliter suam quia terra sui vicini ruinaverit, teneatur totam dictam terram subgrottatam, et ruinatam emendare

secundum comunem extimationem duorum vicinorum comuniter per partes eligendorum, et nihilominus condemnetur in solidis centum denariorum pro qualibet vice. Et si subgrottaverit aliquam viam, vel limitem vie publice, vel Vicinalis condemnetur in libris decem denariorum, et in emendatione danni qualibet vice. Et item dicimus de facientibus arcum inter possessionem suam, et possessionem sui Vicini, videlicet ab uno termino ad alium terminum, et quod nullus laborator audeat vel presumat laborare juxta terminos vel appropinquare arando, vel zappando juxta ipsum terminum circum circa per unum peden sub dicta pena.

Quod nullus derivet aquam per terram alienam.

Rub.a 58.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus derivet aquam per terram alicujus, si eam aliunde debuerit vel potuerit dervare. Contrafaciens vero condemnetur in libris centum denariorum vice qualibet.

De homine, vel Cane occidente bestiam alienam.

Rub.a 59.

Item statuimus, et ordinamus quod si canis alicujus interfecerit aliquam bestiam, dominus Canis teneatur emendare bestiam domini cujus fuerit, et nihilominus solvat Comuni pro banno solidos decem denariorum pro qualibet vice. Et si aliquis impulerit, vel incitaverit aliquem Canem ad mordendum, et interficiendum aliquam bestiam, et interfecerit, teneatur ipse incitans canem, dictam bestiam emendare, et solvere Camerario Comunis dicte Terre pro sua condemnatione, pro qualibet vice et qualibet bestia solidos viginti denariorum.

Quod Processus valeant pleno Iure.

Rub.a 60.

Item statuimus, et ordinamus quod omnes, et singuli processus

facti formati, et formandi per Potestatem, vel ejus Vicarium contra quascumque personas, Terrigenus, vel Forenses super quibuscumque maleficiis, excessibus, et delictis, injuriis, inobbedientiis et offensionibus super quacumque inquisitione, denuntiatione, et accusatione, vel alio quocumque modo valeant, et teneant pleno Jure, et roboris retineant firmitatem non obstantibus quibuscumque.

Quod filius familias admittatur ad accusandum.

Rub.a 61.

Item statuimus, et ordinamus quod quilibet filius familias qui est sub patria, vel avia potestate de qualibet injuria sibi facta, aut dicta contra ipsum admittatur ad accusandum. In damnis dubiis vero non admittatur, nec accusare possit sine licentia, et voluntate illius sub cujus potestate constitutus est, et si admitteretur non valeat ipso jure.

Quod bona exbanditorum vendantur.

Rub.a 62.

Item statuimus, et ordinamus quod bona exbanditorum, seu condemnatorum non solventium eorum condemnationes vendantur pro comuni usque ad satisfactionem condignam que venditio fiat, et fieri debeat per Sindicum et Camerarium dicti Comunis, vel saltem ipsa bona possideantur, et fructentur pro ipso Comuni ita quod ipsorum redditus et fructus in utilitatem dicti Comunis convertantur.

De opponentibus se familie Potestatis.

Rub.a 63.

Item statuimus, et ordinamus ad hoc ut Status Comunis dicte Terre Montoni valeat augmentari, et ut tribuatur unicuique quod est suum, si casus advenerit quod aliquis caperetur per Vicarium vel familiam Potestatis dicte Terre, tam pro factis dicti comunis, et sui Officii quam ad petitionem specialium personarum de mandato, et voluntate prefati potestatis. Nullus

dicto Vicario vel familie se opponeret, ut talis captus non ducatur, nec duci possit ad Curiam prefati Dni Potestatis. Contrafaciens vero in predictis si talis captus evaderet ex tali oppositione condemnetur in libris viginti quinque denariorum, et nihilominus teneatur ad illam penam, vel ad solutionem, et satisfactionem ad quam dictus captus teneretur dicto Comuni, vel speciali persone ex quacumque occasione. Et si non aufugeret ex tali oppositione dictus captus condemnetur talis opponens in solidis centum denariorum.

Quod devastans Vias, et Pontes reficere teneantur.
Rub.ª 64.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque de dicta Terra Montoni, et ejus districtu dirupisset, seu devastasset, seu dirumperet, seu devastaret Stratam, sive viam publicam aut partem alicujus Pontis, vel fontis sive murum in quocumque loco situatum, quod talis devastans dictam viam, et murum reficere teneatur omnibus suis sumptibus, et expensis, et reponere in pristinum Statum; et si fieri non posit quod reponeretur in eodem statu taliter aptare, et reponere teneatur quod omnis homo possit habere habilitatem suam, prout per dictum Potestatem, et Dominos sex fuerit declaratum; et nihilominus quilibet devastans condemnetur in solidis quinquaginta denariorum pro qualibet vice.

De pena capientis, seu interficientis aliquem Gattum.
Rub.ª 65.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque de dicta Terra Montoni vel aliunde ceperit aliquem gattum, vel gattam alienam contra voluntatem sui Domini, condemnetur in solidis viginti denariorum, et qui interfecerit condemnetur in solidis centum denariorum pro quolibet gatto, sive gatta, et qualibet vice: cujus pene medietas sit accusatoris, et alia dicti Comunis,

et possit a quolibet accusari etiam cum uno teste fidedigno habeatur pro plena probatione.

Quod condemnationes ferantur quolibet Mense, vel saltem infra duos Menses. Rub.a 66.

Item statuimus, et ordinamus quod condemnationes, et absolutiones super processibus factis, et in posterum faciendis in curia Comunis Terre Montoni per Potestatem dicte Terre et ejus Vicarium ferantur, et terminentur quolibet Mense, et si illo mense distulerit proferre, saltem sequenti mense proximo proferantur, et ultra non possit quomodolibet prorogari. Teneatur etiam Potestas omnes et singulos criminales processus, ni in Officio precessoris quos pendentes, et non expeditos invenerit decidere, et terminare per sententiam absolutionis vel condemnationis infra 30. dies incipiendos a principio sui Officii, vel ab assignatione Librorum dicti precessoris. Processus vero tempore sui officii ~~incondratos~~ inchoatos, et initiatos, teneatur, et debeat infra duos menses a die inchoati processus per sententiam terminare: et qui contra fecerit in libr. vigintiquinque denariorum debeat condemnari per suos Sindicatores tempore sui Sindicatus. Teneatur etiam dictus Potestas dictas condemnationes quas tulerit exigi, et solvi facere Camerario dicti Comunis, cum effectu pro ipso Comuni recipienti in pecunia numerata, et condemnatos, atque eorum fidejussores cogere, et cogi facere ad solvendum eorum condemnationes realiter, et personaliter, et bona dictorum condemnatorum vendi facere per Sindicum dicti Comunis plus offerenti debitis subhastationibus et bannimentis factis; et pretium ipsorum bonorum devenire facere in manibus dicti Camerarii usque ad integram satisfactionem condemnationis. Et si potestas fuerit negligens in predictis condemnetur tempore sui Sindicatus in libris vigintiquinque denariorum.

De pena frangentis Carceres.

Rub.ª 67.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque carceratus fregerit carceres dicti Comunis, et fugam arripuerit, et exiverit, si fuerit detentus pro pena pecuniaria, vel debito amputetur sibi manus dextra: et si fuerit pro aliqua pena membrali vel personali puniatur pena capitis ita et taliter ut moriatur. Et si quis alicui carcerato prestiterit auxilium, consilium, vel favorem in dando instrumenta apta ad rumpendum, vel frangendo, vel aliud faciendo. Si talis carceratus fuerit pro aliqua pena pecuniaria vel debito in dictis carceribus detentus, et inde exiverit condemnetur ad solvendam dictam penam dicto comuni, vel dictum debitum creditori, et tantundem dicto comuni; et si fuerit carceratus pro aliqua pena membrali vel corporali condemnetur dictus prestans consilium, auxilium vel favorem in eadem pena, et si fugerit dictos carceres, et inde non exiverit, puniatur talis auxiliator in libris centum denariorum. Si vero assignatus fuerit alicui detento per Potestatem dicte Terre vel ejus Vicarium palatium, sive domus sue habitationis, et residentie, vel aliqua pars ipsius pro carceribus, et de dicto palatio sive domo sine licentia recesserit, solvat comuni predicto pro qualibet vice libras centum denariorum.

De inquisitionibus faciendis de omnibus ad petitionem cujuscumque Promotoris. Rub.ª 68.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas dicte Terre possit inquirere, et inquisitiones facere ex suo officio, et procedere ad petionem cujuscumque promotoris

Juramento a dicto promotore, dummodo ipse promotor sit habilis ad denunciandum de omnibus, et singulis maleficiis, delictis, et damnis datis, factis tempore sui Officii, et repertos culpabiles punire, et condemnationes eorum exigere, et executioni mandare secundum formam Statutorum dicte Terre Montoni, et teneatur Vicarius inquisitiones scribere sine aliquo precio.

De pena percutientis se ipsum

Rub.a 69.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis percusserit se ipsum et alium, de tali percussione, vel percussionibus infamaverit inique et injuste vel aliis infamiis infamaret solvat pro dicta infamia Comuni dicte Terre Montoni, libras decem denariorum, et nihilominus solvat, et solvere teneatur talis infamans illam penam quam solvere teneretur talis infamatus si plene probatum fuerit illud de quo extiterit infamatus.

De pena sputentium in faciem, vel sordidum projicientium.

Rub.a 70.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis sputaverit alicui in facie condemnetur in solidis centum denariorum, et si miserit sibi manus in gulam, vel ceperit per nasum, vel barbam, vel immiserit aliquod turpe, vel sordidum in os, vel deturpaverit faciem, vel projecerit aliquod sordidum in faciem vel in dorso in libris decem denariorum vice qualibet, et pro quolibet condemnetur, et plus, et minus arbitrio Potestatis inspecta qualitate facti, et conditione personarum.

De extrahentibus, et deriventibus aquam de suo solito cursu.

Rub.a 71.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat vel presumat extrahere, vel derivare aquam de locis consuetis, et suo solito cursu de sua possessione, vel alterius, et ducere, vel mittere per alium locum, quod damnum aliquod vel impedimentum prestet alicui pena vice qualibet solidorum quinquaginta denariorum, et nihilominus dictam aquam reducat, et remittat in suum locum consuetum. Et idem dicimus de facientibus novitatem aliquam in sua possessione ad alterius que nocere possit, vel aliquod impedimentum prestare alicui persone, vel rei quid simili pena puniantur.

De Arboribus pendentibus supra rem sui Vicini

Rub.ª 72.

Item statuimus, et ordinamus quod si qua arbor, vel rami ipsius penderent super rem sui convicini, videlicet Terram seu possessionem vineam, vel hortum, aut aliqua sepis usque ad viginti quinque pedes; si Arbor fuerit fructifera, et usque ad quinquaginta pedes si non fuerit fructifera prope terram vineam, vel hortum, aut aliam rem sui convicini, Potestas, vel Vicarius ad petitionem illius cujus est res super qua penderet, teneatur cogere dominum dicte arboris ad incidendum, vel extirpandum ita quod possessori conquerentis nullum faciat impedimentum. Et si dominus Arboris vel sepis non fecerit voluntatem, et mandatum dicti Potestatis vel Vicarii condemnetur qualibet vice in solidis viginti denariorum, et fructus arboris cadentes in possessionem vicini dividantur per medium inter dominum arboris, et dominum possessionis vicine.

De Macellationibus seu Carnificibus.

Rub.ª 73.

Item statuimus, et ordinamus quod quilibet macellarius, et carnifex faciat, et facere debeat bonas, et legitimas carnes, quas vendentes vendere debeant sub palatio Comunis, et non alibi dummodo ipsi volentes vendere carnes primo locum a Comuni sub dicto palatio emere debeat quatenus colligit, durat, seu est sandum suum, et in eodem loco, et quilibet sub dicto palatio habere debeat locum suum pro uno anno, et aliter vendere non possit dictas carnes sub pena vice qualibet, et pro quolibet contrafaciente viginti solidos denariorum. Cameram vero que est sub dicto palatio nullus Macellarius retinere possit, nec habere retinen. in ea carnes morbosas vel morticinas. Ipsi vero, nec aliquis alter non possit, nec debeat tenere, nec asportare in dicto Macello, nec in dicta Terra, nec in alio aliquo loco, domo, seu Camera, nec cum aliqua persona tenere ad sortem de dictis carnibus morbosis, seu morticinis, nec emere

vel vendere ad portam terre predicte, nec foris nec intus pena vice qualibet solidorum viginti denariorum. Cuilibet autem alie persone liceat predictas carnes in domo sua in dicta terra retinere, sed non vendere. Item teneatur Potestas predictus in principio sui Officii banniri facere, quod omnes Macellatores, et carnifices venire debeant ad jurandum coram eo omnia in hoc capitulo contenta inviolabiliter observare, et qui non venerit vel jurare noluerit, non possit nec debeat aliquas carnes vendere, nec vendi facere pena vice qualibet solidorum viginti denariorum, et Vicarius teneatur ipsis volentibus vendere carnes, legere totum istud Capitulum integre, et jurare facere. Quilibet vero Macellarius seu Carnifex vendat carnes ad belancias, et pondus de ferro, quod pondus esse debeat duodecim unciarum cum dimidio; et debeat ipsa pondera esse sigillata signo dicti Comunis, et pondus unius libre habeat unum annulum de ferro, et pondus duarum librarum habere debeat duos annulos ferreos, et pondus trium librarum habere debeat tres annulos ferreos, et sic de singulis ad hoc ut ipsa pondera cognoscantur, et nota sint quibuscumque emptoribus carnium, et aliter vendere non possint nec debeant sub pena viginti solidorum denariorum pro quolibet pondere. Et teneantur, et debeant dicti Macellatores semper vendere carnes pro illo pretio quod ordinatum fuerit per Officiales per consilium generale, vel Dnos Sex eligendos sub dicta pena viginti solidos denariorum vice qualibet. Camerarius vero dicti Comunis banniri faciat pluribus vicibus, et plus offerenti

sub dicto palatio nulla persona debeat ponere aliqua ligna, vel masseriam, vel aliam rem pena vice qualibet quinque solidos denariorum, nec debeant dicti Macellatores aliquas carnes gonfiare sub dicta pena. Vendere autem debeant omnes bestias in dicto

Macello et non alibi, et sanguinem colligere, et extra terram portare, et spazzare, et mundare dictum Macellum bis in hebdomada, et mundare, et mundaturam extra dictam terram portare, pena 10. solidos denariorum vice qualibet qua contrafecerint. Dicti autem Macellatores non debeant in dicto Macello tenere aliquas carnes morbosas, vel morticinas, vel que fuerint modo aliquo vitiate pena vice qualibet solid. viginti denariorum. Et non debeant vendere alicui carnes unius animalis pro altero sub dicta pena. Et omnes carnes habeantur pro morbosis, et vitiatis que non fuerint occise, et facte in terra Montoni, et occidere debeant omnia animalia que vendere voluerint presente Sindico, seu Officiali ad hoc eligendo, vel Vicario Potestatis dicte terre, qui eligi debeat in consilio generali dicte terre ad pallides, et pallottas, videlicet, quod eligantur tres boni homines unus pro qualibet porta, et qui plures pallottas habuerit, ille sit Sindicus, et Officialis super bestiis, et carnibus Macellatorum de sua porta, quos eligi faciat Potestas pena centum solid. denariorum de suo salario, sine quorum licentia dicti Macellatores non audeant, nec presumant interficere aliquam bestiam, caussa vendendi in dicto Macello, vel in dicta Terra pena vice qualibet solid. viginti denariorum pro quolibet contrafaciente. Et teneatur dictus Potestas summarie

sine aliqua remissione dictas penas in presenti capitulo,

et qualibet ~~earum~~ exigere

dicto Comuni et solvi facere

et dictos Macellarios cogere ad prestandum fidejussores, et in predictis possit dictus Potestas, vel Vicarius inquirere, et procedere summarie, pubblice, et private, et repertos culpabiles punire, et condemnare, ut dictum est, et de predictis stetur Juramento accusatoris sine aliqua probatione, et in iis quilibet possit esse accusator, et habeat medietatem banni, et teneatur secre-

tus. Item dicimus et ordinamus quod Vicarius teneatur fieri facere quibus pertinet, et habent officium faciendi custodes secretos qui accusare debeant quoslibet contra predicta facientes. Et accusa dictorum Custodum habeatur pro plena probatione, et habere debeant dicti Custodes medietatem banni capitulo aliquo non obstante. Et quod Macellarii non possint emere in diebus Sabbati in dicta Terra aliquos Caprettos pro revendendo pena solid. decem pro quolibet contrafaciente, et quolibet capretto empto contra formam presentis Statuti. Et interiora bestiarum que projicienda sunt statim teneantur portare, et portari facere extra muros dicte Terre, et ibi projcere ubi transeuntibus per Stratam, et viam publicam non inferant fetorem neque fastidium, et Coria ipsarum bestiarum mortuarum ab uno die in ante de macello levare. Si quis autem contrafecerit in predictis, vel aliquo predictorum in decem solidos vice qualibet condemnetur. Ipsi quoque Macellarii toto tempore regiminis Potestatis, et toto dicto anno secundum diversitatem temporis carnes recentes bovinas, castratinas, porcinas, et alias carnes comestibiles teneantur, et debeant facere ambulanter. Ipsas quoque petentibus vendere debeant minutatim ad mediam Libram, unam, duas, tres, vel quatuor, et plures sicut de ipsorum emptorum processerit voluntate, et Libra semper esse intelligatur duodecim unciarum cum dimidia, ut supra dictum est.

De Cavantibus in Viis, vel occupantibus Vias.

Rub.a 74.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat, vel presumat fodere, occupare, vel cavare in viis publicis, vel viinalibus in districtu dicte terre Montoni, nec prope aliquam viam, ita quod ipsa via aliqualiter recipiat lesionem: et qui contrafecerit in solidis denariorum centum Comuni predicto condemnetur, et de predictis quilibet possit esse accusator, et habeat

medietatem banni, et via predicta nihilominus reducatur in pristinum statum.

Quod nullus possit retinere nisi duos Porcos.

Rub.a 75.

Item statuimus et ordinamus quod nulla persona possit, nec debeat retinere in Terra Montoni, nisi duos Porcos, vel Scrofas, et qui contrafecerit solvat dicto Comuni pro qualibet vice, et qualibet porco, vel porca solidos quinque denariorum. Qui porci non possint sine annulo in labio, sive a parte superiori ire per dictam Terram, ne deripiant sive effodiant Stratas ejusdem Terre, et si inventi fuerint ire per dictam Terram sine dicto annulo in dicto labio, et a parte superiori solvat dominus eorum et solvere teneatur solidos quinque denariorum pro quolibet porco.

De Custodibus Celatis.

Rub.a 76.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas, Rector, vel Vicarius teneatur, et debeat vinculo juramenti in principio sui Officii eligi facere per Dominos sex de regimine dicte Terre decem et octo Custodes secretos; videlicet sex de qualibet porta, quorum sex sint habitantes intus in dicta Terra, et duodecim sint habitantes in ejus Curia, et districtu, quorum quidem officium duret sex mensibus, sicut durat Officium dicti Potestatis, et qui fuerint uno Semestri non possint esse in sequenti semestre; ad quod Officium nullus Forensis possit eligi qui sit minor annis viginti quinque, nec ille qui fuerit familius alicujus Montonensis. Qui Custodes teneantur et debeant referre, et denunciare Dño Potestati dicte Terre Montoni, vel ejus Vicario omnia, et singula maleficia, atque delicta, et maledicta cum uno teste ad minus, alias eorum relatio, et accusatio sit nulla in predictis, et nulla pena, seu condemnatio ex ea sequatur, ~~aut~~ nec exigi possit. Te-

neantur etiam referre, et denunciare omnia et singula damna que fierent tam cum personis, quam cum bestiis, et animalibus, et tam de die, quam de nocte, in Territorio, Curia, et pertinentiis dicte Terre, et credatur eorum relationi, denunciationi, et accusationi, usque in quantitate viginti solidos denariorum. A viginti solidis vero supra, quantacumque fuerit quantitas, credatur ejus relationi, et accusationi cum uno teste de visu. Qui Custodes referre, et denuntiare teneantur dicta maleficia et damna infra septem dies a die commissi maleficii, aut facti damni, sub pena viginti solidos denariorum, et debeant declarare, et Vicarius scribere personas, et omnia alia damnum dantia, locum in quo, et diem, alias non valeat talis relatio, nec detur sibi aliqua fides. Que maleficia, ut supra, taliter denunciata, et relata si in prima citatione talis relatus, et denunciatus negaverit, et demum per dictum Testem probate fuerint, et postea confiteretur talis confessio sibi non prosit, sed condemnetur in tota pena pro tali maleficio, seu delicto in presentibus Statutis contenta. Qui Custodes habeant, et habere debeant tertiam partem banni, seu pene cujuslibet relati, et eorum nomina semper teneantur secreta, et nemini pandantur. Item quod testis non possit esse qui fuerit Pater, Frater, Filius et famulus denunciatus, et referentis. Qui Custodes teneantur parere, et obedire in omnibus mandatis dicti Potestatis sub penis eis imponendis: et si quis forte ex dictis Custodibus secretis ex falso accusarentur non propterea detur copia sui nominis nisi prius falsitate probate de qua fuerit accusatus, nec etiam ad se defendendum prius requiratur, et si probatum fuerit ipsum falsi aliquem denunciasse condemnetur in libris decem denariorum. Et qui dictum Custodem falsi accusaverit, et non probaverit suam accusationem solvat nomine pene similiter libr. decem denariorum; et pena que sequeretur ex tali relatione seu accusa solvat ipso facto. Et cuilibet sit

licitum accusare damnum dantes in bonis suis, et credatur ejus juramento usque in viginti solid. denariorum, et teneatur ejus nomen secretum: et si dicti Custodes damnum darent, solvant duplum pene, quam solverent alii.

Quod Potestas possit compellere partes inimicantes ad pacem, vel ad fidejubendum. Rub.a 77.

Item statuimus, et ordinamus quod ad hoc, ut omnes rixe molestie, et brighe cessent inter homines dicte Terre Montoni que venire possent causa alicujus inimicitie, vel quavis alia occasione, vel que essent, aut in futurum fierent inter homines dicte Terre, quod Potestas predictus, et ejus Vicarius possint, et debeant compellere partes inimicantes ad faciendam pacem, vel ad dandum infrascriptam satisdationem hoc modo: videlicet quod recipiat ab qualibet parte inimicantium satisdationem de non offendendo sese ad invicem, nec offendi faciendo toto tempore sui regiminis, et plus, et minus prout ei videbitur fore necessarium usque in quantitatem ducentarum libr. denariorum, et pluri, et minori quantitate prout ei videbitur habita consideratione personarum, qualitate partium inimicantium

tempore sui

qualibet vice.

De modo restituendi res derobatas, vel furatas. Rub.a 78.

Item statuimus et ordinamus quod si qua persona in platea, foro, vel strata pubblica, et palam rem aliquam mobilem, seu semoventem bona fide emerit, vel alio justo titulo acquisiverit presentibus duobus testibus non possit ab emptore, vel alio justo titulo acquirente talis res empta, vel alio justo titulo acquisita reconvinci vel opponi, quod ipsa res fuerit furata si ipse ad quem spectaret, si revolverit illam rem pretium emptori, vel habenti alio justo titulo restituat vel derobata contra furem,

vel derobatorem, vel alium qui mala fide acquisiverit rem predictam.

De euntibus per terram post tertium sonum Campane
Rub.a 79.

Item statuimus, et ordinamus quod post tertium sonum campane Palatii Comunis dicte Terre que pulsatur de sero pro custodia dicte Terre, que campana quando pulsatur de sero pro tertia vice pulsari debeat tantum, ut quilibet redire possit domum suam, qua pulsata dentur tres retocchi ad significandum ipsum esse tertium sonum, post quem nulla persona ire possit per dictam terram sine lumine, nec stare possit extra domum sue habitationis quousque pulsatur Campana Ecclesie S. Francisci ad Laudes pena sol. decem denariorum, et nihilominus tales inventi detineantur tota nocte in Palatio usque ad mane ad expectandum si aliquis conquereretur de aliqua insolentia facta, salvo quod sit licitum noctis tempore ire per terram in Festo Nativitatis Dni N. Jesu Christi, et ejus Vigilie et in Nocte, vigilie, et Festivitatis S. Joannis de mense Junii impune, et aliis noctibus sit licitum cum licentia dicti Potestatis.

De pena tenentium hostium apertum
Rub.a 80.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona post tertium sonum Campane Comunis dicte Terre, que est in palatio dicti Comunis, et que pulsatur de sero pro custodiis nocturnis dicte Terre in suo loco residendis, teneat hostium domus sue habitationis apertum, pena quinque solid. den. a qualibet persona, et qualibet vice contrafaciente de facto solvend.

De pena capientis Columbas, vel Columbaria offendentis. Rub.a 81.

Item statuimus, et ordinamus, quod nulla persona cujuscumque conditionis existat, audeat, vel presumat in dicta Terra Montoni, vel ejus districtu capere Columbas, seu Columbos alienas domesticas, vel de Columbaria aliquo modo, vel ingenio, et qui contrafecerit solvat dicto Comuni proban. solid. centum denariorum pro qualibet columbo, seu Columba. Item quod nulla persona audeat, vel presumat balistrare, vel sagittare, aut pallottare, vel lapidem modo aliquo projicere, vel quid aliud contra Columbarium alienum, aut columbos alienos facere sub dicta pena, nec dictum columbarium frangere sub pena quinquaginta libr. denariorum, si fregerit de nocte, et si de die libr. viginti quinque. Liceat tamen unicuique cum saxo expellere de sua possessione.

De pena exmellantium Cippum, vel Capsam Apium.
Rub.^o 82

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona destruat, auferat, vel exmellet aliquem Cippum, seu Capsam apium manualiter factum, et factum sine licentia sui domini pena vigintiquinque libr. denariorum pro qualibet persona, et qualibet vice qua contrafactum fuerit. Si predicta probata fuerint per testes vel confessionem, aut contumaciam accusati. Si vero non confitentur per partem aut non probaretur per testes, vel contumaciam crederetur juramento accusantis, usque in pena viginti solidorum denariorum. Si cum juramento haberetur aliquod indicium, et nihilominus si constiterit de persona certa predicta committente teneatur Dno apium damnum emendare secundum extimationem duorum vicinorum proximiorum dictis apibus, seu loco dictarum apium.

Quod nulla persona Montonensis vendat aliquam possessionem persone non subjecte. Rub.^a 83.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona de dicta Terra

vel ejus districtu audeat, vel presumeat vendere alicui Forensi non subjecto dicte Terre Montoni, et recusanti solvere datia, et collectas, et alias factiones facere que et quas solvunt alii Montonenses atque faciunt in dicta terra sine expressa licentia D. Potestatis, vel Consilii Generalis dicte Terre, aliquam domum possessionem, vineam, vel hortum existentes in dicta Terra, et ejus Territorio, et districtu, que essent allibrate, et accatastate in libro, et catasto Comunis dicte Terre sub pena vigintiquinque librar. denar. et perditionis rei alienate, que applicentur Camere dicte Comunis.

De pena discastellantium dictam Terram vel ejus Curiam. Rub.a 84.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus, aut nulla persona habitans in dicta Terra vel ejus districtu per quinque annos non possit discastellare, et discedere cum rebus, et familia ejus de dicta Terra, et ejus districtu sub pena 25. librar. denariorum, et perditione omnium suorum bonorum que applicentur, et confiscentur Camere dicti Comunis. Et hec intelligantur si quis, vel quando quis discastellaverit sine licentia Dni Potestatis, Dominorumque sex, et Consilii generalis dicte Terre. Item dicimus quod nulla persona possit emere de bonis dicti discastellantis, tam ante diescastellationum per unum annum elapsum, quam post, quandocumque, et quomodocumque sub dicta pena vigintiquinque libr. den. et perditione rei empte, que applicetur, et confiscetur Camere dicti Comunis, super quibus omnibus, et singulis Potestas dicte Terre possit ex suo Officio procedere, et condemnare. Et quilibet etiam possit de predictis accusare, et habeat medietatem banni.

Quod nullus remittat linum non incigliatum. Rub. 85.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat,

vel presumat incigliare linum, seu Canepam intus in dicta Terra pena solidorum viginti denariorum qualibet vice. Super quibus Potestas dicte Terre possit procedere ex officio, et quilibet etiam possit accusare, et denuntiare teneaturque secretus, et habeat medietatem dicti banni.

Quod quilibet de dicta Terra habeat hortum.

Rub.a 86.

Item statuimus et ordinamus quod quilibet de dicta Terra et ejus Curia, seu habitator ejusdem habens in dicta Terra suam libram ad catastum, videlicet a decem libris supra, teneatur facere, seu habere hortum pena solidorum viginti denariorum vice qualibet, et pro qualibet contrafaciente. Super quibus Potestas predictus possit ex officio suo inquirere, et per inquisitionem et accusam cujuscumque procedere, qui accusatus teneatur secretus, et habeat medietatem dicte pene.

De Fornariis

Rub.a 87.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas dicte Terre teneatur, et debeat in principio sui Officii omnes, et singulas personas habentes, vel conducentes furnum in dicta Terra facere jurare, et ab eis idoneos fidejussores recipere de aptando, et calefaciendo bene, et idonee dictum furnum, et de dando viendam dicti furni primo ipsam furnariam requirenti, et de bene coquendo, et custodiendo panem qui ad ejus furnum portabitur bona fide, et sine fraude. Et si panis alicujus perderetur, seu lederetur in dicto furno, ita quod non esset bene coctus vel . .

Furnarius, seu furnaria illi dictum panem emendare, vel ejus estimationem reddere illi cujus fuerit. Et dicti fornarii, seu fornarie debeant habere de coctura panis: videlicet pro qualibet Stario solidos duos denariorum, et non plures, si calefecerint dictum furnum cum eorum lignis, si vero calefecerint

cum lignis illorum quorum est panis habere debeant unum panem valoris decem denariorum, et non plus pro quolibet Stario. Et in predictis omnibus credatur conquerenti cum ejus juramento vel videatur dictus panis per dictum Potestatem, vel ejus Vicarium. Que omnia, et singula dicti Fornarii, Fornarie observare teneantur sub pena solid. decem denariorum pro qualibet persona, et qualibet vice qua fuerit contrafactum. Super quibus omnibus et singulis dictus Potestas possit inquirere, et procedere ex suo Officio et ad accusationem, et querelam cujuscumque conquerentis.

De penis summarie solvendis

Rub.a 88.

Item statuimus, et ordinamus quod dictus Potestas, vel ejus Vicarius teneatur inquirere, et procedere, et processum facere, et in scriptis, et per sententiam condemnare omnes delinquentes de unoquoque delicto, et excessu committendo in dicta Terra, et ejus Territorio ex quo veniret solvenda pena excedens summam quinque libr. denariorum, detractis, et defalcatis detrahendis. Ab inde vero infra, et supra qualibet pena extraordinaria, et super penis damnorum datorum teneatur, et possit punire delinquentes summarie, et per bullettas scribendas manu dicti Vicarii, et signandas, seu subscribendas manu Camerarii d. Comunis, atque bullandas, et stampandas Stampa Comunis dicte Terre, et dicto Vicario post factam solutionem portandas, et assignandas. Quas dictus Potestas solvi faciat, et mandet dicto Camerario modo et ordine hactenus consuetis.

De pena privati Carceris

Rub.a 89.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus de dicta Terra vel aliunde habitans, vel morans in dicta Terra Montoni audeat vel presumat aliquem, et captum in privato Carcere retinere

sine expressa licentia, et scientia Dni Potestatis, et Dominorum Sex de dicta Terra. Et si quis contrafecerit puniatur in libris quingentis denariorum, et si
dictum captum contra voluntatem et Scientiam dictorum Potestatis, et Dnorum Sex puniatur in libris mille denarior. Quas penas si non solverit infra unum mensem vel deposuerit a die sue late condemnationis computandum amputetur eidem manus dextra, vel sinistra.

De pena prohibentium volentes emere, vel vendere.

Rub.a 90.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona de dicta Terra, vel in ea, aut ejus districtu cohabitans audeat, vel presumat prohibere seu vetare, seu minari alicui volenti vendere rem suam, vel volenti emere rem alicujus domini ipsius rei: videlicet vetando, seu minando quod dictam rem immobilem nemini vendat vel minando alicui quod dictam rem stabilem emere nolit, et si qua persona contrafecerit in predictis condemnetur in quarta parte pretii conventi de dicta re, vel in quarta parte valoris, et estimationis dicte rei vendende. Insuper statuimus et ordinamus quod quelibet persona volens vendere aliquam rem suam stabilem, seu immobilem debeat primo requirere proximiores vicinos ipsius rei, cui dictam rem vendere teneatur pro illo pretio quod habere potuerit ab illo qui majus pretium pro dicta re se dare obtulerit, vel pro pretio declarando per duos eorum comunes amicos ad hec per eos comuniter eligendos. Et si talis venditor, seu venditrix in fraudem suorum vicinorum dixerit se invenire de dicta sua re illud pretium, quod, et, ~~et~~ quantum nullus Vicinorum vellet pro dicta re dare, et solvere, et demum sibi Venditori per dictum emptorem pro dicta re solveretur, minus pretio convento puniatur, et condemnetur talis vendens in libr. quinquaginta denariorum. Et si nullus vicinorum noluerit dare venditori tan-

tum pretium, quantum reperierit in veritate ab alio, vendere possit plus offerenti impune; et si quilibet vicinorum vel plures uno dictam rem emere voluerit vendatur plus offerenti. Super quibus Potestas possit inquirere ex suo officio, et ad accusam, et querelam cujuscumque, et punire, et condemnare contrafacientem in predicta pena, et majori, et minori prout ei videbitur. habito respectu ad valorem, et extimationem rei, et inspecta qualitate personarum, ac fraudis quantitate.

De pena aucupantium pro Qualeis, seu Starnis.
Rub.a 91.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona de dicta Terra, vel aliunde audeat, vel presumat aucupari, seu venari cum Bracco, et rete, sive trasino per aliquam possessionem bladatam pro qualeis, sive Starnis sine licentia Domini, et laboratoris dicte possessionis a Calendis Mensis Maij usque quo fuerit messum bladum, et qui contrafecerit solvat in comuni sine aliqua detractione solidos viginti denariorum pro qualibet vice. Item dicimus quod nulla persona possit aliquo tempore aucupari cum bucino vel aliter quam cum Cane, et rete pro dictis Starnis, et qualeis sine expressa licentia Domini, Potestatis, et Dnorum Sex de regimine dicte Terre; videlicet in territorio, et districtu dicte Terre sub pena vigintiquinque librarum denariorum a quolibet contrafaciente de facto, et sine aliqua remissione exigenda. Super quibus dictus Potestas possit procedere ex suo officio et ad denuntiam, et accusam cujuscumque referentis cum ejus juramento, et uno teste ad minus qui teneatur secretus, et habeat quartam partem banni.

De pena venantium pro Leporibus, seu Capreolis
Rub: 92.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona cujus-

cumque conditionis de dicta Terra, vel ejus districtu audeat, vel presumat mittere, seu tendere laqueos pro capiendo lepores, sive capriolos in territorio, et districtu Montoni, sub pena trium librarum denariorum a quolibet contrafaciente de facto exigendarum, et qualibet vice, et dicto Comuni solvendarum, salvo quod si Lepores, aut capreolus damnum daret in possessione alicujus persone, et illa talis persona pro evitatione damni vellet ipsum capere possit habita licentia a Potestate dicte Terre ipsum, vel ipsos laqueis capere impune aliquo capitulo seu statuto non obstante.

De pena piscantium ad Ragiajas.

Rub.a 93.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona cujuscumque conditionis existat audeat vel presumat piscari, vel pisces capere ad ragiajas in Flumine Carpine dicte Terre, et si aliqua persona de dicta Terra vel ejus Curia contrafecerit solvat dicto Comuni de facto sine aliqua remissione solidos quadraginta denariorum. Super quibus venationibus et piscationibus dictus Potestas possit ex suo Officio per inquisitionem, et ad accusam cujuscumque accusantis, sive referentis cum probatione unius Testis fide digni procedere, et punire non obstantibus quibuscumque.

De pena Arantium sive Ligonizantium juxta Grippas murorum dicte Terre. 94.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona de dicta Terra, et ejus Curia cujuscumque conditionis existat, audeat, vel presumat arare, seu ligonizare juxta grippas, seu ripas, aut ipsas grippas que sunt juxta muros dicte terre Montoni: videlicet a porta Montis, usque ad portam Burgi dicte Terre, ita quod dicte grippe, sive ripe propter dictum arare, sive ligonizzare, ledi possint quoquo modo, et si qua persona contrafecerit in predictis puniatur in libris quinque denariorum sine

aliqua remissione

De pena projientium aliquid supra tectum alicujus. Rub.a 95.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat vel presumat projicere super tectum alterius aliquam immunditiam, sive incommeramentum, nec aliquod aliud facere impedimentum quoquomodo: et si qua persona contrafecerit condemnetur in solidos viginti denariorum vice qualibet, et damnum emendet patienti.

De pena ementium pullos, et ova causa revendendi. Rub.a 96.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona de d.a terra, vel ejus districtu in die Martii fori dicte Terre audeat vel presumat ante nonas emere in dicto foro pullos, ova, vel caseum, causa revendendi, et si qua persona contrafecerit puniatur in solidos viginti denariorum sine aliqua remissione qualibet vice, et possit potestas ex Officio, et ad accusam cujuscumque persone procedere.

Quod pene determinate a Statutis ampliari non possint arbitrio, sed tantum minui. Rub.a 97.

Item statuimus, et ordinamus quod ubi in aliquo Capitulo presentis voluminis Statutorum dicti Comunis Terre Montoni, esset aliqua pena determinata pro aliquo maleficio sive excessu commisso, seu committendo, et ipsa pena remitteretur in arbitrium Potestatis dicte Terre: videlicet quod possit punire, et condemnare in majori, vel minori pena quam fuerit determinatum, et declaratum in Statutis ad arbitrium, et voluntatem dicti Potestatis inspecta, et considerata qualitate facti, et considerata personarum, ac temporis, et loci dictus Potestas nullomodo habeat dictum arbitrium; videlicet ampliandi et crescendi dictam penam determinatam, non obstantibus aliqui-

bus Capitulis, seu Statutis in contrarium loquentibus. Possit tamen dictus Potestas ex suo Arbitrio in dictis Statutis sibi concesso penam determinatam secundum dictum arbitrium in delictis sibi promissis per Statuta in presenti Volumine contenta minuere, et ad penam minorem reducere prout noverit expedire inspecta qualitate facti, et conditione personarum.

Incipit Liber IV.

Super Extraordinariis

Infrascripta sunt certa Statuta Extraordinaria, quorum aliqua sequi possunt formam adque librum Maleficiorum sub infrascriptis Capitulis, et Rubricis.

De Mensuris, et ponderibus in Comuni habendis
Rub.ª 1.

Item statuimus, et ordinamus quod in Comuni dicte Terre sint et esse debeant penes Camerarium seu Sindicum dicti Comunis omnia et singula pondera, et mensure juste: videlicet; Pondus florenorum, Bilanciarum, Marchi Stateriarum, et Passus lane, et lini, Mensure grani, vini, olei, et salis, et quarumcumque rerum mensurandarum, et ponderandarum, adque pondera, et mensuras quisque Artifex et Mercator, et quisque alter volens aliquid vendere, teneatur sua pondera, et mensuras adequare, et justare ponderibus predictis dicti Comunis per manus Potestatis, et Camerarii, seu Sindici generalis dicti Comunis penes quem essent, et sigillare, seu Stampare Stampa dicti Comunis. Et quilibet vendere volens ad mensuram se ad pondus aliquod teneatur, et debeat vendere dictis Mensuris, et mensurare, et ponderare dictis ponderibus adjustatis.

Quod euntes in Officium extra Terram non teneantur facere Custodiam. Rub.ª 2.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque Monto-

nensis habitator dicte Terre, et sue Curie esset, vel erit extra d.^{m} Terram, vel ejus districtum ad aliquod officium exercendum durante tempore dicti sui Officii, non teneatur nec cogi possit facere in dicta Terra aliquam custodiam diurnam sive nocturnam, si reliquerit in sua domo aliquem cohabitantem ad invicem custodiam facientem.

De Ronzinis dandis ad Vecturam
Rub.^{a} 3.

Item statuimus et ordinamus quod Potestas dicte Terre, et Dñi Sex, de regimine dicte terre ad requisitionem cujuscumque teneantur, et debeant quolibet anno facere estimare omnes et singulos Ronzinos, mulos, vel equos qui, et que darentur ad vecturas per estimatores per eos eligendos, et si casus eveniret quod oporteret aliquem Ronzinum vel aliud animal concessum ad vecturam emendari non possit, nec debeat emendari, nisi secundum dictam estimationem factam per dictos estimatores non obstante quod illi qui locaverit Ronzinum Mulum vel equum locasset majori quantitate, et estimatione predicta, Volentes et decernentes ex nunc vigore presentis Statuti ipsas obligationes, et promissiones factas, et fiendas in majori quantitate estime predicte fore nullas, et nullius efficacie, vel valoris, et quilibet locans, et prestans talia animalia ad vecturam teneatur et debeat antequam dicta animalia incipiant concedere ad vecturam scribi, et estimari facere per estimatores predictos sub pena decem librarum denariorum pro qualibet vice, et quolibet animali.

Quod qui non facit custodiam pro se non faciat pro altero. Rub.^{a} 4.

Item statuimus, et ordinamus quod qui non facit, seu faciet custodiam dicte Terre pro se ipso in dicta terra non possit nec debeat pro aliquo alio facere, sub pena decem solid. denarior. pro quolibet contrafaciente, et qualibet vice, et id Vicarius dictum

talem ad dictam custodiam admiserit condemnetur in libr. quinque denariorum pro quolibet, et qualibet vice.

De volentibus edificare prope Vias.

Rub.° 5.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque voluerit edificare prope aliquas vias pubblicas Comunis dicte terre debeat requirere Potestatem, et Sindicum dicti Comunis ad predicta, vel Dominos Sex. Qui Potestas ire, aut mittere debeat ejus Vicarium ad dictam locum et secum ducere

requisitione, et contra eorum declarationem in solidis centum vice qualibet condemnetur, et quicquid de via occupaverit, vel in ea edificaverit debeat remittere, et relaxare et in pristinum statum reducere sub dicta pena.

Qualiter assignentur condemnationes, et ponantur ad introitum Comunis. Rub. 6.

Item statuimus, et ordinamus ad hoc ut homines cujuscumque status et conditionis existat in aliquo non gravetur quod quotiescumque aliquis fuerit condemnatus vel exbannitus Comunis terre Montoni in aliqua quantitate pecunie occasione alicujus Maleficii vel excessus, et voluerit talis condemnatus vel bannitus talem condemnationem solvere, solvat cum effectu Camerario dicti Comunis. Idem Camerarius habita, et recepta dicta condemnatione teneatur statim ipsam quantitatem, nomen solventis, et causam quare fuerit condemnatus scribere in libro dicti Comunis introitus in presentia talis condemnati, et antequam idem condemnatus recedat ab ipso Camerario. Et facta dicta solutione dicto Camerario Vicarius dicti Potestatis, qui dictam condemnationem sive bannimentum scripserit ad penam presti juramenti ad petitionem dicti solventis

recepta primo competenti mercede ejus bulletta signata, seu stampata, et subscripta manu dicti Camerarii in signum dicte solutionis sibi facte ipsam condemnationem, seu exbannimentum statim cancellare, et sua propria manu scribere in capite, sive in margine ipsius sententie quam talis condemnatus, sive exbanditus solvit, et satisfacit tali camerario dictam condemnationem, et ideo est cancellata, et predictum Statutum dicti Potestas, et Vicarius teneantur, et debeant integre observare vinculo juramenti.

Quod fiat, et habeatur in Comuni una Cassa in qua serventur jura, et libri dicti Comunis. Rub.a 7.

Item statuimus, et ordinamus quod Dnus Potestas, et Domini Sex de regimine dicte Terre teneantur, et debeant fieri facere expensis dicti Comunis unam Cassam magnam, et firmam cum septem Serraduris, et septem clavibus, quarum clavium dictus Potestas debeat retinere unam, et quilibet Dominorum Sex unam, ita quod dicta cassa aperiri non possit sine voluntate, et consensu dictorum Dni Potestatis, et Dominorum Sex qui sunt et pro tempore erunt; in qua cassa reponatur, et conservetur sigillum dicti Comunis, et libri Potestatum dicte terre, et omnia alia jura, et Scripture dicti Comunis. Que Cassa sit, et esse debeat, atque conservetur semper cum juribus dicti Comunis apud Fratres, et in Sagristia Ecclie S. Francisci de dicta Terra. Et si prefati Dnus Potestas, et Domini Sex erunt negligentes in predictis solvant, et solvere debeant pro pena, et eorum negligentia dicto Comuni pro quolibet libras decem denariorum in fine eorum Officii. Et idem dicimus de predictis observandis, et faciendis per eorum successores in Officio. Nam semper teneantur et debeant dictam Cassam servari facere in dicta Sacrestia, et jura dicti Comunis, et sigillum, et libros in eadem in perpetuum conservari, et claves per Potestatem, Dnos Sex semper volumus teneri modo predicto, et si contra fecerit in predictis, vel aliquo predictorum solvant, et solvere debeant

ipsi, et quilibet eorum libras decem denariorum in fine eorum Officii.

Quod Potestas fieri faciat libras Causarum Civilium, et Maleficiorum. Rub.a 8.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas dicte terre, vel Vicarius, teneatur, et debeat habere duos libros, vel unum ad minus in quo ordinate, et rite scribantur, et scripta sint omnia acta civilia, et maleficiorum, et processus, et condemnationes. . .

tempore sui Officii concurrentes, et dictum librum resignare Dominis Sex, et ejus Sindacatoribus copertum carta pecudina in quo sculpta sint arma dicti potestatis in fine sui Officii sub pena viginti quinque libr. denariorum solvendorum Camerario dicti Comunis in dicto suo Sindicatu.

De Festivitatibus Custodiendis Rub.a 9.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona de dicta Terra Montoni, vel ejus districtu audeat, vel presumat facere, vel fieri facere aliquod laborerium, vel servitium in diebus infrascriptis: videlicet, In diebus Dominicalibus, et omnibus aliis Festivitatibus D. Nostri Jesu Christi.

In die Nativitatis D. N. Jesu Christi cum duobus diebus sequentibus.

In die Paschatis Epifanie. - In die Paschatis Resurrectionis D. N. Jesu Christi cum duobus diebus sequentibus.

In die Paschatis Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, et in die Veneris Sancti.

In festivitatibus Beate Marie Virginis, de Mense Martii, de Mense Augusti, et de Mense Septembris. In quibus diebus, et Festivitatibus nullus, seu nulla persona cum licentia Potestatis, vel sine ponere possit aliquam salmam, bastum, sive bardellam aptas

ad portandam salmam alicui bestie, seu animali apto ad portandum salmam.

Item nulla persona audeat facere aliquod laborerium sive servitium in quibuscumque aliis diebus Festivitatum B. Marie semper Virginis, et in diebus Festivitatum omnium Apostolorum, et Evangelistarum, et in diebus Festivitatum Sanctorum, et Sanctarum D. N. Jesu Christi que ab Ecclesia jubentur venerari, videlicet in die Circumcisionis D. N. Jesu Christi. In die Festi S. Antonii, et in die Conversionis S. Pauli, in die S. Sebastiani, que sunt de Mense Januarii. In diebus Festi Purificationis Beate Marie. Festi Cathedre S. Petri, et Festi S. Matthie que est de Mense Februarii. In die Festi S. Gregorii de Mense Martii. In die Festi S. Joseph de mense supradicto. In die Festi S. Crucis de Mense Maji, et de mense Septembris.

Item in die Festi S. Rocchi de mense Augusti. In die Festi S. Francisci de mense Octobris. In die Festi Omnium Sanctorum. In die Festi S. Martini, et in die festi S. Catherine que est de mense Novembris. In die Festi S. Nicolai. In die Festi Conceptionis B. Marie Virginis que est de Mense Decembris.

Quisquis vero fecerit contra predicta, vel aliquod predictorum solvat de facto cum bullette Camerario dicti Comunis soldos decem denariorum. Et si araverit in dictis Festivitatibus vel aliqua earum solvat de facto dicto Comuni soldos viginti denariorum. Salvo quod liceat in Festivitatibus Sanctorum, et Sanctarum suprascriptarum facere, et ferre herbas pro animalibus, Dno' ipsorum, et cuilibet alteri de sua familia pro illo die tantum necessarias, et opportunas. Item liceat trahere cum Bobus ligna grossa pro domibus construendis. Item liceat ferre Cuppos, Lateres, tabulas ligneas, et alia ligna necessaria pro dictis domibus construendis, si et dictis Festivitatibus eis mutuabuntur Bestie apte ad salmandum. Item sanguinare

flobottomare, et ferrare si necesse fuerit aliter non. Quæ omnia fieri tunc volumus, et permittimus si primo de predictis licentiam obtinuerit a Dno Potestate vel Vicario liceat etiam predicto modo in dictis Festivitatibus Sanctorum, et Sanctarum ire cum salmis pro aqua ad fontes, et portare vinum, granum, farinam, et paleas opportunas in salmis de dicta Terra in comitatu cum dicta licentia, liceat etiam cuilibet portare granum ab area trituratum, et granum trituratum, et non bene purgatum, pula seu in dictis Festivitatibus purgare, et conciare, et granum messum componere, et metiri facere propter nubes pluviam minantes: semper cum licentia prehabita, alias dictam penam incurrant.

De pena ludentium ad Ludum Tassillorum
Rub.a 10.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona de dicta Terra, vel aliunde cujuscumque conditionis existat, audeat, vel presumat ludere ad aliquem ludum tassillorum, vel ejus districtu ubi denarii, vel aliæ res perderentur, et vincantur. Et si quis contrafecerit puniatur de facto in libris decem denariorum sine aliqua detractione qualibet vice: et simili pena puniatur ille qui tenuerit ad partem cum aliquo ex ludentibus ad ipsum ludum, et ille qui ludentes ad ludum receptaverit in domo propria vel conducta puniatur de facto in libris vigintiquinque denariorum sine aliqua detractione vice qualibet. Item dicimus et statuimus quod si aliqua persona accomodaverit ludentibus taxillos vel pecuniam puniatur de facto in libris quinque denariorum sine diminutione vice qualibet, et perdat pecuniam mutuatam. Et si predicta committerentur de nocte duplicentur dictæ penæ. Volumus tamen quod quilibet possit in locis publicis ludere cum taxillis ad ludum tabularum libere, et impune non tamen in Ecclesiis neque in tabernis,

nec prope tabernas per duas domos, nec in aliis locis absconditis, et secretis: in quibus locis non concedimus licentiam, sed negamus. Et si quis contrafecerit in ludendo in dictis locis, ut dictum est, puniatur in libr. quinque denariorum sine detractione aliqua, et predicta banniantur in principio Officii Potestatis, super quibus omnibus, et singulis supradictis Dnus Potestas procedere possit, per inquisitionem, inventionem, denuntiam, et accusam cujuscumque, et credatur inventioni Vicarii, et familie dicti Potestatis, et accusationi, et relationi cujuscumque cum uno teste fide digno, et habeat accusator, sive denuntiator quartam partem pene, et teneatur secretus si voluerit. Et si aliquis ex dictis ludentibus, vel delinquentibus in predictis, vel aliquo predictorum accusare voluerit suos socios predicta committentes eodem die quo luserint, vel sequenti ante quam ab officiali vel familia fuerint inventi, vel ab aliqua persona accusati vel denuntiati. talis accusans, vel denuntians pro suo delicto commisso in dicto ludo, seu circa dictum ludum ad penam aliquam non teneatur.

De Animalibus mortuis projiciendis extra Terram
Rub. 11.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat vel presumat projicere aliquod animal mortuum infra muros dicte Terre, sed statim portetur extra dictam terram, et projiciatur ad grippam Cerri sub pena viginti solid. denariorum cuilibet contrafacienti vice qualibet, et possit a quolibet accusari, et habeat medietatem pene, et teneatur secretus si vult.

De Coriis in Stationibus non ponendis.
Rub. 12.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat, vel presumat in statione, seu apotheca propria vel conducta

ponere aliqua Coria quorumcumque Animalium que non sint concia in solis att coramine a Calendis Maij, usque ad Calendas Octobris ad hoc, ut habitantes prope, vel inde transeuntes fetorem ex eis non presentiant. Et si qua persona contrafecerit de facto puniatur in solidis viginti denariorum pro qualibet vice.

De pena projicientium turpitudinem infra muros Terre seu prope. Rub.a 13.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona cujuscumque conditionis existat, audeat, vel presumat projicere, nec ponere nec poni facere quoquomodo aliquam turpitudinem, seu immunditiam nec aliquod aliud scopimen seu incommeramentum infra muros dicte terre, nec prope portas ipsius terre, nec ante vel prope ipsas portas per duas Cannas, nec possit possit ante vel prope murum alicujus specialis persone, nec in viis, sive Antronibus pubblicis, nec inter muros, et barbacanos dicte Terre sine licentia Dni, et Dominorum sex de regimine dicte Terre sub pena decem solid. denariorum cuilibet contrafacienti, et vice qualibet: Salvo quod liceat unicuique predicta, vel alia projicere extra muros dictos, terre dicte a porta Montis, usque ad tenimentum Calesse S. Crucis sine licentia, et sine aliqua pena. Insuper volumus quod quelibet persona de dicta terra habens domum in eadem terra propriam, vel conductam teneatur, et debeat singulis diebus Sabbathi ante dictam domum scopare seu scopari facere, et omne incomberamentum inde removere sub pena quinque soldor. denariorum cuilibet contrafacienti, et qualibet vice.

De pena ascendentis super domum alicujus. Rub.a 14.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat, vel presumat quoquomodo ascendere supra domum alicujus sine

licentia illius cujus fuerit ipsa domus, vel sine licentia habitantis ipsam domum, sub pena cuilibet contrafacienti, si de die decem solid. denariorum: si de nocte solid. viginti denariorum. Salvo quod tempore ignis, et incendii in terra predicta liceat unicuique ascendere supra domos pro igne extinguendo sine pena, etiam invito domino.

Qualiter succurratur ad ignem.

Rub.a 15.

Item statuimus et ordinamus quod si in terra Montoni accident aliquod incendium esse, quod Deus avertat, quod omnes homines ad dictum ignem succurrere debeant, et teneantur, exceptis tamen odium habentibus cum aliquo qui succurrere non teneantur sub pena solidorum decem denariorum cuilibet contrafacienti, et qualibet vice. Et si a succurrentibus caussa dandi partem igni, et extinguendi aliqua domus devastaretur, talis devastans ad penam aliquam non teneatur, nec possit dicta de causa ab aliquo molestari: et si molestaretur, puniatur molestans in solidis centum denariorum qualibet vice, et pro quolibet molestato, et vasa si qua in dicto misterio devastarentur, aut perderentur emendentur eorum dominis expensis dicti Comunis terre Montoni.

De pena non restituentis Scripturas Comunis

Rub.ca 16.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque Notarius de dicta Terra habuerit aliquas Scripturas dicti Comunis de quibus fuerit ipse rogatus, teneatur, et debeat eas dicto Comuni restituere, et ad petitionem dicti Comunis, seu Dnorum sex de regimine dicte Terre recepta competenti mercede sub penam 10. librar. denariorum cuilibet contrafacienti. Item dicimus quod quicumque alter de dicta Terra habens aliquas Scripturas, seu quascumque alias res dicti Comunis, et ad dictum

Comune pertinentes teneatur ipsas scripturas, et res dicto Comuni manifestare, reddere, et restituere infra decem dies post factum bannimentum sub dicta pena decem librarum denariorum cuilibet contrafacienti, et qualibet vice, et nihilominus teneatur, et cogatur restituere eas dicto Comuni, et semper teneatur de indemnitate dicti Comunis. Et si quis, vel qua persona dictas Scripturas vel instrumenta denegaverit, vel laceraverit, aut occultaverit, et restituere noluerit ipsas Scripturas publicas vel privatas que fuerint dicti Comunis, dicto Comuni; et que fuerint specialis persone, dicte speciali persone, condemnetur in libris centum denariorum, et nihilominus eas restituere teneatur, et cogatur Domino earum et predicti cujus fuerint dicte Scripture, et indemnem conservare.

Quod nullus ponat letamen in stratis publicis.

Rub. 17.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona ponet, vel ponere faciat in stratis publicis, vel ante domum sui vicini aliquod letamen seu immunditiam: et si quod in dictis stratis coadunaverit teneatur ipsum portare extra dictam Terram infra octo dies a die coadunationis computandos. Contrafaciens vero in predictis puniatur de facto in solidis viginti denariorum: et nihilominus dictum letamen, et immunditiam inde removere, et extra dictam terram ferre teneatur.

De Tabernariis, et vinum vendentibus.

Rub.a 18.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat vel presumat vendere vinum ad minutum sine licentia dicti Potestatis, vel ejus Vicarii, et tenere debeat, et teneatur quilibet vinum vendens in sua taberna vasa justa, et sigillata

sigillo seu Stampa Comunis dicte Terre, et dicti Potestatis: videlicet: Petittum, medium petittum, folliculum, et dimidium folliculum, et nullum aliud vas aptum ad mensurandum si non fuerit adjustatum et sigillatum ut supra, tenere debeat in ejus Taberna. Et qui contrafecerit in predictis vel aliquo predictorum puniatur de facto in solidis decem denariorum sine aliqua detractione pro quolibet vase non justo, et non sigillato, et qualibet vice, et teneantur dicti Tabernarii implere vasa Vino usque ad summum, et sine aliqua scema dare cuilibet ementi sub pena quinque solidorum denariorum de facto solvendorum Camerario dicti Comunis pro quolibet vase non pleno, ut dictum est.

Qualiter Vie, et Strate remolliantur, et Spazzentur die Sabbati. Rub: 19.

Item statuimus, et ordinamus quod Potestas predictus vel ejus Vicarius vinculo Sacramenti teneatur, et debeat remolliri facere Stratas per quemlibet ante suam domum, ac dictas Stratas quolibet die Sabbati spazzare, et purgare, et Bajoli dicti Comunis teneantur, et debeant spazzare Plateam dicti Comunis, et Scalas Palatii ejusdem Comunis quolibet die Sabbati sub pena quinque solidos denariorum cuilibet contrafacienti, et habeant dicti Bajoli pro eorum labore in predictis a Camerario dicti Comunis in quolibet Semestre bol. duas pro quolibet.

De Cavinis, et necessariis murandis

Rub.ª 20.

Item statuimus, et ordinamus quod dictus Potestas teneatur, et debeat murare facere omnes et singulas Cavinas que sunt, et respondent ad stratas matonatas, in quibus cavinis non est hostium caussa intrandi in eas sex pedibus supra terram expensis illorum quorum sunt cavine. Et si quis ad mandata

dicti Potestatis non remuraverit puniatur de facto in soldos quatraginta denariorum. Item dicimus quod nulla persona debeat habere necessaria, vel acquarium, vel cloacariam in aliquam Cavinam inter domum suam, et domum sui convicini nisi essent prope terram uno pede, ad pedem Comunis ad hoc ut non sit incomodum suo vicino, nec minus exceptis illis qui habent dictas cloachanias inter domos eorum, et qui contrafecerit solvant dicto Comuni dictam penam.

De facientibus turpitudinem in Fontibus, Puteis, et Cisternis. Rub.a 21.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis fecerit aliquam turpitudinem in Fontibus, Puteis, vel Cisternis existentibus in dicta Terra, vel extra, vel prope ipsos per octo pedes, vel projecerit aliquod turpe in eis, vel lavaverit pannos, olera, herbas, vel languenas, aut Barilium, seu Secchias immiserit ad stagnandum, vel aliquod aliud turpe immiserit vel fecerit puniatur in solidis decem denariorum de facto qualibet vice, et quilibet possit accusare, et teneatur secretus si velit, et habeat medietatem pene.

Quod Mulieres non vadant post Cadaver, nec post id exclametur. Rub.o 22.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla mulier audeat vel presumat ire ante vel retro aliquod Cadaver quando fertur ad Ecclesiam donec fuerit sepultum pena vice qualibet cuilibet contrafacienti viginti sold. denariorum de facto. Item dicimus quod sequenti die postquam dictum Cadaver fuerit sepultum nulla mulier extra dictam Ecclesiam, vel ejus Cemeterium, ubi sepultum fuerit, vel extra domum dicti defuncti plorare, gridare, et clamorem facere debeat sub dicta pena cuilibet contrafacienti. Super quibus omnibus Potestas predictus teneatur inquirere ex officio, et inquisitionem

facere. Et Vicarius, vel quicumque de familia dicti Potestatis teneatur ire personaliter ad videndum predicta, et contrafacientes punire, et condemnare in penis predictis, et quilibet possit accusare, et teneatur secretus.

Quod nullus portet Ignem dicopertum per Terram.

Rub.a 23.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat, vel presumat tempore ventoso portare ignem discopertum per dictam Terram pena quinque solid.i denariorum cuilibet contrafacienti, et quilibet possit accusare, et teneatur secretus.

De vendentibus Vinum die Veneris Sancti.

Rub.a 24.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat vel presumat in dicta terra vendere vinum, nec vendi facere in die Veneris Sancti, nec tabernam aperire pena viginti solidorum denariorum cuilibet contrafacienti de facto auferenda. Super quibus ex officio possit inquiri, et quilibet possit accusare, et habeat medietatem banni, et teneatur secretus.

De punctaturis contra inobedientes.

Rub.a 25.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque fuerit inobediens mandatis Officialium teneatur solvere penam sibi impositam de facto, et permissam ex forma Statutorum. Et Officialis aliquis dum mandavit fieri, et non posuerit penam, tunc et eo casu intelligatur dicta pena esse quinque solidos denariorum: et si non fuerit inobediens, sed

fuerit antequam venerit ad obediantiam puniatur de facto in duobus soldis denariorum pro qualibet punctatura. Et similiter pro punctatura qualibet ad custodiam diurnam, vel nocturnam solvat punctatus soldos duos denariorum pro qualibet, et

qualibet vice si postea venerit: Sed si non venerit ullo modo solvat de facto, et solvere teneatur soldos quinque denariorum, et nihilominus teneatur, et debeat reficere custodiam.

De pena projicientis aquam a fenestris.
Rub.^a 26.

Item statuimus et ordinamus quod nulla persona de dicta Terra vel habitans, et morans in ea audeat, vel presumat projicere aquam a fenestris, vel per hostia domus in stratam publicam noctis tempore nisi primo dixerit alta, et intelligibili voce tribus vicibus, guarda, guarda, guarda. Et si versando batneaverit aliquam personam in totum, vel in partem puniatur in soldis viginti denariorum pro qualibet, et qualibet vice, et nihilominus si pannos devastaverit emendare teneatur. Et si versaverit de die ceneratam, vel lavaturam, vel aliquam aquam non claram in dictis stratis condemnetur, et puniatur de facto in solidos decem denariorum pro cenerata, et quinque solidos pro aqua clara qualibet vice. Super quibus possit ex officio procedere nec non ad accusam, et denuntiam cujuscumque persone.

Incipit Liber V.

in quo continentur ordinationes super damnis datis.

De Cognitionibus Damnorum datorum.

Rub.a 1.

In primis Statuimus, et ordinamus quod dictus Potestas, et ejus Vicarius possit procedere, et cognoscere super damnis datis, quomodolibet factis, et commissis tam de die, quam de nocte, tam personaliter, quam cum bestiis, et animalibus in Curia Territorio, Pertinentiis, et districtu dicte Terre Montoni per inquisitionem, inventionem, denuntiationem, et querelam, ad relationem, et accusam Custodum secretorum, et per omne modum per quem eis, vel dumnum passum videbitur, et placebit infra unum mensem a die dati damni computandum, et repertos culpabiles punire in penis in hoc volumine Statutorum contentis, et declaratis. De quibus penis bullettas faciat et scribat idem Vicarius, et subscribat ejus manu propria dictis damnum dantibus assignandas que per ipsos presentari debeant in eorum solutionibus Camerario dicte Terre, et per ipsum Camerarium subscribi, et stampari stampa dicti Comunis ad faciendum fidem qualiter ipse recepit quantitates in dictis bullettis contentas, et descriptas, et demum ipse

bulette reportari debeant coram dicto Potestate, vel ejus Vicario, et penes ipsos relaxari modo, et ordine hactenus consuetas. Quare Bulettarum forma talis sit, et esse debeat: videlicet, die tali, talis Mensis. Recipe Camerari Comunis Montoni pro ipso Comuni a tali persona nominando eam tantam quantitatem, declarando numerum dicte quantitatis, eo quod duo ejus porci accusati fuerunt per talem damnum dedisse in sua possessione bladata tali die, posita in tali loco juxta tales confines contra formam Statuti dicte Terre. Ideo recipe tantam quantitatem, adnotando numerum quantitatis per litteras importantes numerum.

De modo, et ordine procedendi super damnis datis.
Rub:a 2.

Item statuimus, et ordinamus quod Dnus Potestas, vel ejus Vicarius teneatur, et debeat sub pena decem librarum denarior. porrecta accusatione, vel denunciatione statim citari facere testes vel infra duos dies proxime futuros ad minus, et citari faciat infra octo dies a die porrecte accuse computandos dictos damnum dantes per pubblicum Bajolum dicti Comunis quod ipsi venire debeant coram eo infra tres dies ad se excusandum a tali accusa, denuntia, inventione, vel querela, quibus comparentibus si negaverint, vel si defendere voluerint, detur eis terminus trium dierum ad se defendendum, et suas defensiones faciendum, et probandum, et si dixerint se nullas habere defensiones, vel si confiterentur dicta damna vera esse, statim detur eis buletta sue condemnationis, et pene solvende Camerario dicti Comunis ut supra, nisi tali accuse, seu denuntie per dictum accusatorem coram dicto Potestate vel Vicario fuerit renuntiatum infra octo dies vel decem ad plus a die facte accuse sive querela computandos.

De personis que possint accusari, et accusare in damnis datis. Rub: 3.

Item statuimus, et ordinamus quod Dnus patronus rerum in quibus fuit damnum illatum filius familias, et famuli dictorum dominorum, et laboratores, et afficturarii dictarum rerum, vel Jus habentes in fructibus. Tutores, Curatores, procuratores, et factores mandatum habentes, possint de quibuscumque damnis datis in dictis rebus quomodolibet damnum dantes denuntiare, et accusare exceptis minoribus septem annorum, laboratoribus dictarum rerum, et afficturariis, qui accusari non possint, nec denuntiari, et si accusarentur talis accusatio non admittatur, nec exinde punitio, et condemnatio modo aliquo sequi possit, nec etiam nullus predictorum aliquem accusare non possit contra voluntatem illius in qua dicitur damnum fore datum. Nullus vero qui esset in dicta terra Montoni, vel ejus districtu possit per procuratorem accusare de damno sibi quomodolibet illato. Item dicimus statuentes quod si aliquis conduceret vel mitteret operarios ad aliquam possessionem, et de ipsa possessione, vel de quo fuerint ad mandata mittentis, et conducentis ipsos dicti operarii accusarentur ab aliquo de damno dato, quod tunc dictus conducens, vel mittens teneatur ipsos defendere, et si non defenderit, sed fuerint condemnati teneantur solvere condemnationem ad quam solvendam cogi, et compelli debeant per Potestatem dicte terre, seu ejus Vicario sub pena librarum decem denariorum.

De Officio Custodum Celatorum.

Rub.a 4.

Item statuimus, et ordinamus quod in damnis datis ad relationes, et accusationes Custodum secretorum possit procedi per Potestatem, et ejus Vicarium contra quemcumque damnum dantem et credatur eorum relationi modo, et forma in presenti volumine tertio Statutorum de Maleficiis contentis sub Rub.a 76. de custodibus celatis, qui teneantur jurare, et semper singulis

coram Officiali represehentare, et referre damnum dantes.

De termino accusandi, et accusationes retrahendi.

Rub.ª 5.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis voluerit aliquem accusare, de aliquo damno dato possit, et debeat accusationem, vel denuntiam facere infra unum mensem a die dati damni computandum, elapso vero dicto mense dicta accusatio, vel denuntiatio non admittatur, nec recipi possit. Item dicimus quod quilibet qui accusaverit, vel denuntiaverit possit suam accusam rettahere, et ipsi accusationi renuntiare in totum, vel in partem prout sibi placuerit infra octo dies, vel decem ad plus a die accusationis, et denuntiationis computando, et talis accusati propter dicta abolitione non teneatur solvere dicto Comuni aliquam penam, sed teneatur solvere dicto Potestati tantum tertiam partem eorum pene quam solvi fieret si dicta accusa non fuisset abolita prout hactenus est consuetum.

De Damnum dantibus in Vineis

Rub.ª 6.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliqua persona personaliter damnum dederit in aliqua vinea Calendis Mensis Aprilis usque ad Calendas Mensis Novembris dum tamen vinea in qua damnum datum sit, non sit vindemiata, puniatur in solidis decem denariorum pro quolibet sarmento sive racemo, qualibet vice, si de die; si vero de nocte in duplo, et si intraverit in vineam, et damnum non dederit puniatur in solidis quinque denariorum qualibet vice: et si inciserit vitem puniatur in libris vigintiquinque denariorum pro qualibet vite, usque ad numerum decem vitium, ab inde vero supra amputetur sibi manus dextera, et ipsa deficiente

sinistra, et si aliter damnum dederit alio tempore puniatur in solidis quinque denariorum. Si vero damnum datum fuerit cum bestiis, seu animalibus in dictis vineis a Calendis Mensis Aprilis usquequo non fuerint vindemiate, siquidem bove, vacca, asino, asina, equo, equa, mulo, mula, capra, vel hirco bufalo, seu bufala puniatur Dnus vel Custos eorum in solidis viginti denariorum pro qualibet dictorum animalium, et qualibet vice; si vero fuerit porcus, vel porca qui damnum dederit in dictis Vineis a Calendis Mensis Augusti usqueque non fuerint vindemiate puniatur pro quolibet porco, seu porca pro qualibet vice in solidis viginti denariorum. Si vero alie bestie minute damnum dederint in dictis vineis dictis temporibus puniantur in solidis quinque denariorum pro qualibet bestia, et qualibet vice. In aliis vero temporibus videlicet a Calendis Mensis Novembris si vinee fuerint vindemiate usque ad Calendas Aprilis. Si dicte bestie intraverint aliquam vineam solvant pro qualibet bestia, et qualibet vice soldos tres denariorum. Si vero damnum datum fuerit in pergulis existentibus extra vineam personaliter vel cum bestiis puniatur in dicta pena qua puniretur, si damnum datum fuerit in vineis.

Quod Potestas, et ejus Vicarius possint rimare pro damnis. Rub.a 7.

Item statuimus, et ordinamus quod dictus D. Potestas et Vicarius ejus possint ex suo Officio per inquisitionem, et inventionem procedere in damnis datis, et repertos culpabiles punire in penis in hoc Volumine Statutorum appositis, et positis, et eis liceat rimari contra quoscumque deferentes uvas et alios fructus arborum, aut res commestibiles, et diligenter inquirere ab aliis quos invenerint portare, vel habere aliqua predictorum per testes vel Sacramentum deferendum, vel alias conjecturas, ita quod inquiratur et habeatur veritas. Et si invenerit portantes delinquentes puniat

secundum formam Statutorum, ac si invenerit eos personaliter damnum dare in dictis rebus, et qui non permiserit se rimari puniatur in soldos quadraginta denariorum.

Quod Laboratores conducti ad laborandum non possint portare de bonis conductoris. Rub: 8.

Item statuimus, et ordinamus, quod nullus laborator qui fuerit ab aliquo conductus pro pretio possit reportare domum suam sarmenta, vites, vel palos, vel alia ligna, nec uvas etiam tempore vindemiarum cum licentia domini conductoris vel sine pena 20. solidorum denariorum pro quolibet, et qualibet vice.

Quę intelligantur Bestię grossę, et quę minutę. Rub. 9.

Item statuimus, et ordinamus quod in omnibus, et singulis Capitulis damnorum datorum in quibus fieret mentio de Bestiis grossis vel minutis semper intelligantur, et sint Bestię grossę eę videlicet Equus, et Mulus, mula, Bos, Vacca, Asinus, Asina, Bufulus, Bufula, Hircus, Capra, et porcus poraque: alię vero Bestię cujuscumque generis intelligantur minutę et similiter Anseres, et Gallinę, et reliqua volatilia.

De Damnis datis in Canneto, Salceto, Arboreto, vel Horto. Rubª. 10.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis personaliter damnum dederit in Canneto, Salceto, Arboreto, vel Horto . .

. custodito puniatur in solidis viginti denariorum si de die, et si de nocte in solidis quadraginta denariorum, et semper emendare damnum passi, et si hortum fuerit in vinea puniatur tam de vinea, quam de horto: Si vero damnum datum fuerit cum Bestiis grossis in Canneto, et Salceto primi anni orto, vel Arboreto a Calendis Mensis Aprilis usque ad Cal. Julii puniatur in solidis viginti denariorum pro qualibet bestia, et qualibet

vice. Si vero fuerit Bestia minuta puniatur in soldis duobus denariorum. Si vero damnum datum fuerit cum dictis Bestijs grossis vel minutis in Saleto vel Arboreto majori uno anno vel Canneto alijs temporibus quam predictis puniatur pro qualibet Bestia grossa in soldis decem denariorum, et minuta in denarijs duodecim.

De Damnum dantibus in terris Bladatis et pratis Rub.ca 11.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis personaliter damnum dederit in terris Bladatis vel pratis siquidem metendo granum, puniatur in soldis quadraginta denariorum, et aliud bladum in soldis viginti denariorum. Si vero calpestando, vel aliter damnum dando a Calendis mensis Martii usquequo fuerit messum bladum puniatur in soldis decem denariorum: et in alijs vero temporibus in soldis quinque denariorum. Si vero damnum datum fuerit in dictis terris bladatis vel pratis

cum bestijs grossis a Cal. mensis Martii, usquequo dictum bladum vel pratum fuerit messum, vel secatum puniatur pro qualibet Bestia grossa, et qualibet vice in soldis decem denariorum. Si vero fuerint Bestie minute puniantur in soldis duobus denar. pro qualibet Bestia, et qualibet vice. In alijs vero temporibus puniantur in medietate dictarum penarum, et intelligantur esse prata terre relicte, et signate pro faciendo fenum, et si plura genera Bladorum fuerint in una Possessione, et in omnibus dictis Bladis damnum datum fuerit semper intelligatur pro uno damno: videlicet ac si damnum datum fuerit in uno blado tantum.

De damnum dantibus in metis, Covis, vel Bladis trituratis. Rub.ca 12.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliqua persona da-

mnum dederit in Metis, Covo, vel Covis alicujus Bladi, vel Liguminibus puniatur pro qualibet vice in solidis viginti denariorum. Si vero damnum datum fuerit cum dictis Bestiis grossis puniatur pro qualibet Bestia grossa, et qualibet vice in solidis decem denariorum, et pro qualibet bestia minuta, et qualibet vice in solidis duobus denariorum. Si vero damnum datum fuerit cum dictis bestiis in Blado triturato, puniatur in duplo dictarum penarum: et si damnum datum fuerit in paleis, sive paliaribus, si personaliter in viginti solidos denariorum, et si cum bestiis pro qualibet bestia grossa in solidis quinque denariorum: Et cum Capra, vel hirco, et quavis bestia minuta puniatur in denariis duodecim pro qualibet bestia, et qualibet vice, et semper in predictis, et quolibet predictorum damnum emendetur damnum passo.

De damnum dantibus in arboribus domesticis
Rub.^a^ 13.

Item statuimus, et ordinamus quod si qua persona damnum dederit in arboribus domesticis, videlicet Ficubus, Pruniolis, Avellanis, Olivis, Moris Nespolis, Nucibus, siquidem incidendo vel devastando in totum pro qualibet arbore, et qualibet vice puniatur in libris decem denariorum. Si vero damnum incisserit, vel aliter devastaverit puniatur in solidis viginti denariorum. Si vero fructus dictarum arborum vel alicujus ipsorum collegerit vel devastaverit edendo, et non exportando in solidis quinque denariorum pro qualibet, et qualibet vice. Si vero exportaverit inde in solidis decem denarior. Si vero sgurlaverit, vel batteverit bestiis puniatur pro sua persona qualibet vice in penis infrascriptis. Si vero damnum datum fuerit ad aliquam dictarum arborum cum Bestiis corrodendo vel devastando aliquam dictarum Arborum puniatur in solidis decem denariorum pro qualibet Bestia grossa, et quali-

bet vice: et si cum Bestiis minutis puniatur pro qualibet Bestia minuta, et qualibet vice in solidis tribus denariorum. Si vero corrodendo vel devastando fructus dictarum arborum puniatur in solidis quinque denariorum pro qualibet Bestia grossa, et in solidis duobus pro qualibet Bestia minuta. Si vero dictum damnum dederit in arboribus non domesticis vel fructiferis, si incidendo, vel devastando aliquam Arborem in totum vel puniatur in solidis quadraginta denariorum. Si vero incisserit vel devastaverit in parte vel fructus collegerit, vel aliter damnum dederit puniatur in solidis decem denariorum pro qualibet vice. Si vero damnum datum fuerit in dictis arboribus, vel fructibus ipsarum cum Bestiis puniatur pro qualibet bestia grossa in solidis quinque denariorum, et pro qualibet Bestia minuta in solidis duobus denariorum.

De damnum dantibus in Silvis, et Nemoribus.

Rub.s 14.

Item statuimus et ordinamus quod si qua persona personaliter damnum dederit in silvis vel nemoribus alicujus incidendo, vel aliter devastando, vel bona accipiendo et exportando puniatur in solidis decem denariorum pro qualibet salma lignorum, et in solidis quadraginta pro quolibet ligno pro edificio sine licentia Dni Silvarum. Si vero glandes vel fructus colligendo vel exportando in solidis quinque denariorum. Si vero damnum datum fuerit cum Bestiis puniatur pro qualibet Bestia grossa in solidis quinque denariorum, et pro qualibet bestia minuta in denariis duodecim.

De damnum dantibus in Magiaticis, Stipulis, vel Sodis. Rub.a 15.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis personaliter damnum dederit in magiaticis balneatis, et non siccis puniatur in solidis duobus denariorum: et si in magiaticis siccis,

terrisque stipulatis, et sodatis puniatur in denariis duodecim qualibet vice, et pro qualibet persona. Si vero damnum datum fuerit cum Bestiis in dictis Magiatiis balneatis, et nondum siccis puniatur in solidis quatuor denariorum pro qualibet bestia grossa, et in solidis duobus pro qualibet bestia minuta et qualibet vice. Et si dictę bestię damnum dederint in Magiatiis non balneatur per quatuor dies ante, et in terris stipulatis atque sodatis puniantur pro qualibet bestia grossa in denariis duodecim, et pro qualibet Bestia minuta in denariis sex pro qualibet vice.

De Damnum dantibus in Sepibus, vel Chiusuris.

Rub.º 16.

Item statuimus et ordinamus quod si qua persona personaliter damnum dederit in Sepibus, vel Chiusuris, aut devastaverit sepes alicujus vineę clausurę, vel horti puniatur in solidis viginti denariorum. Si vero inciserit, vel devastaverit sepes alterius rei puniatur in solidis decem denariorum. Si vero damnum datum fuerit cum Bestiis in Sepibus, horti, vineę, vel clausurę: si cum bestia grossa in solidis quinque denariorum, et si cum Bestia minuta in solidis duobus denariorum. Si vero per predictas bestias damnum datum fuerit in aliis sepibus, puniatur pro qualibet Bestia grossa in solidis duobus, et pro qualibet bestia minuta in denariis sex pro qualibet vice, et intelligatur porcus pro bestia minuta.

De Incendiis, et Vastamentis

Rub.ª 17.

Item statuimus, et ordinamus quod si qua persona incendium vel vastamentum fecerit in bladis messis, et non messis, vineis, vel arboribus, vel palearibus, vel aliis rebus quibuscumque iis similibus, et damnum datum fuerit ex dicto incendio,

si damnum fuerit estimationis a centum solidis infra in libris decem denariorum puniatur, et si a centum solidis supra usque in decem libras denariorum puniatur in libris vigintiquinque denariorum: et si a decem libris supra, usque in libras vigintiquinque, vel abinde supra, puniatur in libris centum denariorum, et nihilominus condemnetur talis incendiarius, vel devastator semper in emendationem damni damnum passo, et in predictis, et quolibet predictorum sufficiat probatio unius testis bone fame de visu, cum publica voce, et fama personarum loci ubi dictum incendium, et vastamentum factum fuerit, que publica vox, et fama probetur ad minus per duos testes bone fame. Super quibus procedi non possit nisi ad accusam, denuntiam, et querelam damnum passi.

De Canibus ligandis
Rub. 18.

Item statuimus, et ordinamus quod omnes, et singule persone de dicta Terra, et ejus districtu habentes Canem, seu Canes unum vel plures in dicta Terra, et ejus districtu, teneantur, et debeant tenere continue ligatum, seu ligatos a die 15. mensis Augusti, usque ad Calendas mensis novembris. Et qui contrafecerit puniatur in solidis decem denariorum pro quolibet Cane, et qualibet vice. Item dicimus, statuimus quod Bracchi a rete non teneantur ad dictam penam si non fuerint ligati, nisi inventi fuerint extra dictam Terram non ligati, et sine suo patrono, vel alio aucupatore ipsos, vel ipsum ducente.

De probationibus que sufficiunt in damnis datis, et de Sacramento Accusatoris. Rub.a 19.

Item statuimus et ordinamus quod in omnibus, et singulis Capitulis damnorum datorum

Laboratoris, Afictuarii, Tutoris, Curatoris, vel jus habentis ipsius rei accusantis, vel procurator absentis jurantis de visu usque ad quantitatem viginti soldorum quantum ad penam Comunis, et quantum ad emendam damni usque ad quantitatem quinque soldorum denariorum. Si vero talis accusans, vel denuntians accusaverit, vel denuntiaverit, et suam accusam vel denuntiam probaverit ad minus per unum testem bone fame, puniatur talis denuntians, vel accusatus, vel etiam inquisitus in tota illa pena in qua veniret condemnandus si probatum fuisset per duos, vel tres testes omni exceptione majores. Si vero accusatus, vel denuntiatus de aliquo damno dato personaliter, vel cum bestiis negaverit dictum damnum, et dicet dictam accusationem non veram, et malitiosam, et predicta legitime probaverit absolvatur, et accusans vel denuntians condemnetur in eadem pena in qua veniret condemnandus accusatus, vel denuntiatus ad in expensis legitimis. Si vero dixerit damnum datum non esse et peteret per officialem videri teneatur dictus Potestas mittere ejus Vicarium, vel alium de sua familia ad videndum locum in quo dicatur damnum esse datum, et si reperiretur damnum esse datum faciat illud emendare juxta ejus extimationem et condemnet dictum accusatum, vel denuntiatum secundum formam dictorum Statutorum alioquin absolvat denuntiatum vel accusatum, et condemnet accusatorem eadem pena qua condemnaret, et condemnare deberet accusatum.

De emendatione damnorum datorum.

Rub.a 20.

Item statuimus et ordinamus quod in omnibus, et singulis casibus et Capitulis damnorum datorum debeant damnum dantes personaliter, vel cum bestiis damnum passo secundum estimationem fiendam per estimatores Comunis dicte terre

Montoni. Quam Potestas, vel Vicarius teneatur, et debeat dare, facere, et declarari, et satis fieri damnum passo ad petitionem dicti damnum passi, et damnum datum cum bestiis semper emendetur per dominum bestiarum, et similiter talis dominus puniatur, et cogatur, et non custos ad solvendum penam comuni predicto.

De duplicatione penarum
Rub. 21.

Item statuimus, et ordinamus quod omnes et singule pene damnorum datorum duplicentur in damnis datis de nocte, et intelligatur nox in damnis datis ab occasu usque ad ortum solis diei sequentis. Et similiter duplicentur in forensibus et eorum bestiis damnum dantibus, et non intelligantur forenses qui venerint cum sua familia ad habitandum in dicta terra Montoni, vel ejus curia.

De Uvis non portandis sine licentia, et quando sit licitum Vindemiare. Rub.a 22.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat vel presumat portare uvas maturas, vel agrestas nisi unum vel duos racemos tantum de vinea sua propria vel conducta sine licentia Dni Potestatis vel ejus Vicarii, et bulletta subscripta manu dicti Vicarii; et qui contrafecerit solvat pro qualibet racemo ultra dictos duos soldos quinque denarios. Item dicimus statuentes quod nulli liceat portare agrestum pistum, vel siccam, vel in racemis sine licentia potestatis in dictam terram, vel ejus curiam sub pena librarum quinque denariorum. Item dicimus quod cuilibet liceat vindemiare a Calendis Octobris et non ante licentia tamen Potestatis prehabita nisi aliud provisum fuerit per dictum Potestatem, et Dnos Sex, vel generale consilium dicte Terre: et qui contrafecerit ante dictum tempus prenotatum vindemiando, vel ante tempus statuendum

per predictos puniatur in solidis centum denariorum.

Quod Bestiæ inventæ dare damnum possint impune capi Rub.a 23.

Item statuimus, et ordinamus quod si Vicarius iens rimando pro damnis datis invenerit aliquas Bestias quomodolibet ad damnum dare, et ipsas non cognoverit cujus fuerint, vel si fuerit forensium possit eas ducere ad terram Montoni et eas in hospitio recomandare, donec fuerit pena soluta in Comuni, et emendatio damni, damnum passo integre satisfacta. Item dicimus quod si quis reperierit aliquas Bestias sibi quomodolibet damnum dare, possit eas capere, et ducere, et presentare coram dicto Potestate, vel ejus Vicario; et postquam ceperit, et de loco captas duxerit quoque modo non sibi liceat eas relaxare, vel domino restituere, seu alteri sub pena illa ad quam tenerentur dictæ Bestiæ vel animalia, vel Dnus earum pro eis quas bestias habeat statim dictus Potestas, vel ejus Vicarius ipsas hospitari, vel Camerario dictæ terræ assignare, et ipsas gubernare facere expensis ipsarum, vel earum Dni, et ipsas teneri, et non relaxari facere donec dicta pena soluta fuerit, et emenda damni damnum passo satisfacta; et si dictæ Bestiæ fuerint volatiles ut galline, et anseres, et similes possit inventor in sua possessione occidere, dummodo in suam utilitatem non converteret, sine aliqua pena. Et quod talis inventor dictas Bestias invenerit, et damnum datum fuerit stetur, et credatur juramento inventoris, et si opus fuerit Vicarius possit videre si damnum est illatum vel ne. Et si talis inventor invenerit porcos, vel capras in vineis, bladis, glandibus, pomis, et casu fortuito occiderit unam dictarum bestiarum in sua possessione non teneatur occisor ad aliquam penam sed ipsam emendare Dnō cujus fuerit pro quarta parte minus sue estimationis, et bestia interfecta sit interfectoris.

De capiendo damnum dantes, vel res eorum retinendo Rub.a 24.

Item statuimus et ordinamus quod unicuique qui possit accusare de aliquo damno dato secundum formam presentium Statutorum liceat auctoritate presentis capituli quamcumque personam invenerit damnum dare in aliqua re de qua posset accusare eidem auferre clamideri vel alias res, et coram Officiali presentare, quam clamidem, sive res Potestas vel Vicarius teneatur statim recepto juramento a dicto inventore mittere, et consignare dictas res Camerario dicti Comunis pro pena in qua talis damnum dans debet puniri, et etiam pro emendatione damni. Item dicimus quod Vicarius dicte Terre possit quemlibet Forensem damnum dantem in territorio, et districtu dicte terre capere, ducere, et detinere donec fuerit pena soluta, et damnum satisfactum, nisi voluerit idoneum fidejussorem prestare, et prestiterit de solvendo penam, et damnum emendando tunc, et eo casu non ducatur sed relaxetur.

De fugientibus, et non permittentibus se rimari, et non dicentibus verum nomen. Rub.a 25.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquis inventus fuerit damnum dare per Potestatem, vel Vicarium dicte terre, vel ejus familiam, et aufugeret, et non permiserit se rimari, vel nomen, et pronomen suum celaverit, vel verum nomen non dixerit puniatur in solidis centum denariorum et in predictis, et quolibet predictorum credatur relationi Officialium, vel familiaris dicti Potestatis.

Quod surripientes Uvas, Poma, et Paleas non possint accusari pro furto. Rub.a 26.

Item statuimus, et ordinamus quod pro surreptione Uvarum, fructuum, et aliorum pomorum, vel palearum de-

linquentes non possint puniri pro furto, sed solum secundum formam Statutorum loquentium de damnis datis, si ipse res fuerint valoris a centum solidis denariorum infra. Si vero fuerint majoris valoris, et estimationis, vel damnum datum fuerit de nocte possit dictus delinquens pro furto puniri.

De aucupantibus, et venantibus.

Rub.a 27.

Item statuimus, et ordinamus quod liceat unicuique venari, et Uccellari pedestri intrare, et ire per vineas, clausuras, hortos, et terras bladatas, et quaslibet alias possessiones impune, et si in predictis vineis, hortis, et aliis possessionibus, aliter quam cum pedibus solvant penam in Statutis contentam, et equester iret per loca predicta solvant penam pro persona, et animali.

De penis, et condemnationibus exigendis.

Rub.a 28.

Item statuimus, et ordinamus quod dictus Potestas, vel ejus Vicarius teneatur, et debeat omnes penas banna, et condemnationes damnorum datorum quas fecerit, seu tulerit tempore sui Officii exigere ab omnibus delinquentibus, vel condemnatis per bullettas, et de facto solvi, et dari facere in pecunia numerata Camerario dicti Comunis recipienti sine aliqua detractione, et sine solemnitate Juris per detentionem persone, et capturam pignorum, vel alia remedia opportuna, et talem exactionem, seu executionem facere possit contra delinquentes, vel condemnatos si commode fieri poterit alias contra Patrem, Matrem, et Fratres, si Fratres in communione persistunt, et mater non fuerit, et steterit nupta. Item contra Tutorem, vel Curatorem delinquentis seu bonorum ejus, de substantia, et bonis talis delinquentis. Item contra dominum, seu patronum pro famulo, pastore, seu custode

Quod quilibet possit deferre domum fructus, vel ligna

De suis possessionibus. Rub.a 29.

Item statuimus, et ordinamus quod liceat unicuique impune deferre, seu deferri facere a possessionibus suis fructus, poma, et ligna cujuscumque generis sint, preter uvas de quibus servetur Statutum, dummodo probetur quod dictos fructus, et ligna portet de suis possessionibus per suum juramentum, famuli, seu familie, vel laboratoris, vel quod Dnus illum vel illos miserit ad possessionem suam, et ibidem habeat possessionem fructus, poma, vel ligna, de quibus debeat officialis diligenter inquirere veritatem.

De licentia non concedenda sine presentia Officialis. Rub.a 30.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona possit concedere licentia de suis possessionibus propriis vel conductis alicui persone de intrando, vel damnum inferendo in eis personaliter, vel cum bestiis, et si daretur non valeat; immo sit ipso jure nulla, et nullius valoris nisi talis licentia data fuerit in presentia dicti potestatis, vel ejus Vicarii, et ipsa licentia scripta fuerit per dictum Potestatem, vel Vicarium; sed delinquentes sub dicta licentia puniantur, ac si non haberent. Possit tamen licentia dari consanguineis, et conjunctis usque ad tertium gradum sine licentia dicti Potestatis, vel Vicarii, et de tali licentia credatur Juramento concedentis.

De Hortis habendis. Rub.a 31.

Item statuimus, et ordinamus quod quilibet habens libram in dicta Terra, vel ejus Curia, vel laborans tenimentum alicujus si non habuerit de suo proprio teneatur et debeat in suo terreno, sive laborerio facere, et habere ad minus medium tabulam Horti, et qui non fecerit quolibet anno per totum mensem Aprilis, et seminaverit seu plantaverit de plantis olerum infra dictum

terminum puniatur in soldis viginti denariorum. Et hoc statutum banniatur semper de mense Martii.

De Capris non tenendis infra scriptos confines
Rub.a 32.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona de dicta Terra, vel aliunde possit retinere, aut pasturare aliquam bestiam caprinam vel hircinam in domibus, vel in pascuis intus, seu infra infrascriptos confines: videlicet a domo gattariorum intus versus dictam terram, et per stratas juxta greppas usque ad Rigum, et a Domibus Berardorum per totum Rigum, in quibus domibus retineri possint, et usque, et per fossatum pallotte, et ad stratam Fontelucciole, et per dictam stratam usque ad Crucem S. Patregnani, et a Cruce predicta per stratam ad domum filiorum Blocche, et a dicta domo usque ad Crucem que confinat cum Balestraccio, et vadit per viam S. Donati, usque ad domum filiorum Vigoli, ita quod dicta domus filiorum Vigoli sit extra confines, et a domibus predictis usque ad Carpinam, et dividat dictos Confines fossatus Ridivallis qui vadit usque ad flumen Carpine et veniendo per dictum flumen usque ad Sciaquatorium Molendini, et a dicto Sciaquatorio per formam dicti Molendini, usque ad clausam dicte forme, et a dicta forma usque ad fossatum S. Martini, et a dicto fossato per fossatum patafioli qui confinat cum Vico de Sessola qui vadit per directam ad possessionem Crutii et vadat ad domos Montis Bestiarum, usque ad dictas domos Gattariorum ad penam decem solidorum denariorum pro qualibet Capra que retenta fuerit quomodolibet infra dictos confines.

De Porcis non tenendis in dicta Terra, vel extra domum sine Annulo. Rub.a 33.

Item statuimus, et ordinamus quod nulla persona audeat, vel

presumat tenere in dicta Terra ultra duos Porcos pena quinque solidorum denariorum pro quolibet porco cuilibet contrafacienti. Item dicimus quod nullus permittat dictos porcos ire per dictam Terram sine annulo in Visu seu Mostaccio rotundo magnitudinis unius grossi florentini non tonditi sub pena quinque solid. denariorum pro quolibet porco, et qualibet vice cuilibet contrafacienti. Super quibus Potestas vel Vicarius procedere possit per inventionem, accusationem, vel denuntiationem, ac relationem Custodum secretorum, et quod nullus de nocte permittat ire ejus porcos per dictam terram cum annulo vel sine ad penam quinque solidorum denariorum pro quolibet porco, et qualibet vice.

De Viis, et Stratis ampliandis, manutenendis, et scopandis
Rub.a 34.

Item statuimus, et ordinamus quod dictus Potestas vel Vicarius teneatur precise de mensibus Aprilis, Maij, et Junii facere amplicari, et scopari omnes, et singulas vias publicas, et stratas regales, et Vias Vicinales taliter quod strata regalis sit ad minus ampla et larga pedibus duodecim, et via publica ad minus octo pedibus, et via vicinalis ad minus sex pedibus, missis et factis fossis ubi fuerit necessarium, et positis, et apresatis lapidibus in dictis viis si videbitur expedire per dominos, et laboratores terrarum circumstantium, et adjacentium dictis viis, ubi expensa fuerit magna reaptetur, et aptetur per omnes homines porte dicte terre in cujus contrata esset dicta via.

De pena Bestiarum lactantium.
Rub.a 35.

Item statuimus, et ordinamus quod si bestie grosse lactantes, et etatis sex mensium, et minute etatis trium mensium damnum dederint quomodolibet in quibuscumque locis ad penam aliquam minime teneantur. Et si bestie autem grosse a dicta

etate, et tempore sex mensium supra usque compleverint etatem unius anni damnum dederint puniantur in media pena, qua punirentur alie Bestie grosse excedentes dictam etatem unius anni. Et si Bestie minute a dicto tempore sint etate trium mensium, usque ad etatem sex mensium ipsarum teneantur in medietate pene debite aliis bestiis excedentibus dictam etatem: et si habuerint etatem ultra dictos sex menses puniantur in tota pena, qua puniantur alie bestie minutes.

De penis non determinatis per Statuta damnorum datorum. Rub.a 36.

Item statuimus, et ordinamus quod ubi de aliquo damno non esset pena determinata in presenti volumine Statutorum damnorum datorum procedatur, et puniatur delinquens de similibus ad similia, et si similis pena, aut simile damnum non reperiretur puniatur arbitrio Potestatis.

De Porcis, et Canibus damnum dantes intus in Terra. Rub.a 37.

Item statuimus, et ordinamus quod si porcus vel porca, vel Canis aliquod damnum dederit in rebus alicujus stantibus in domo propria, vel conducta teneatur dominus ejus in soldis decem denariorum pro quolibet, et qualibet vice; et nihilominus teneatur damnum emendare damnum passo.

De auferentibus et portantibus ligna aliena. Rub.a 38.

Item statuimus, et ordinamus quod si qua persona acciperet aliqua ligna alterius persone incisa pro igne, palis, aut clusimine alicujus possessionis, vel aliqua ligna grossa pro aliquo edificio, et illa de loco quocumque admoverit, vel portaverit puniatur quilibet accipiens, seu admovens ex portans in solidis decem denariorum, pro qualibet salma lignorum, vel palorum, et in soldis

viginti denariorum pro qualibet ligno pro edificio: et nihilominus teneatur damnum emendare damnum passo.

De pena damnum dantium in Zafferamine.

Rub.a 39.

Item statuimus, et ordinamus quod si qua persona personaliter damnum dederit in Zafferamine alterius puniatur in libris decem denariorum: et si cum bestiis grossis vel minutis puniatur in soldis quatraginta pro qualibet bestia, et qualibet vice.

De pena damnum dantium in Fabis.

Rub.a 40.

Item statuimus, et ordinamus quod quicumque intraverit in Fabas alterius, dum fabe sunt bone ad comedendum puniatur in solidis viginti denariorum pro qualibet vice, et si habuerit licentiam a D.no Fabarum non teneatur ad penam non obstante quod ipsa licentia non data fuerit in presentia Officialis, sed stetur Sacramento talis Domini de dicta licentia.

De Lumine in Mercatello non ponendo.

Rub.a 41.

Item statuimus, et ordinamus quod nullus audeat, vel presumeat

Mercatale intelligatur esse a Porta Verzeni usque ad fontes, et puteum aque existentem in Muro scarpe dicte terre et revoltum, seu cantonum S. Pauli.

De Butolis non mittendis in Fontibus.

Rub.a 42.

Item statuimus et ordinamus quod nulla persona extrahat, aut auriat aquam cum Butolis, seu Barilibus de fontibus novis prope portam Verzeni, nec ponat aliquod pondus in lapidibus dictarum fontium, nec faciat aliquam immunditiam in dictis

fontibus, nec prope dictos Fontes per decem pedes, nec debeat rotare aliquod ferrum in lapidibus dictarum fontium, nec debeat incidere aliquam arborem, vel vitem positas juxta dictos fontes pena viginti solid. denariorum pro quolibet contrafaciente qualibet vice, et possit a quolibet accusari cum juramento, et teneatur secretus.

De inquisitionibus fiendis super damnis datis occultis. Rub.a 43.

Item statuimus, et ordinamus quod si aliquod damnum datum fuerit alicui persone in possessionibus ipsius tam personale, quam cum Bestiis quocumque modo, et dictum damnum reperiretur per Dnum Possessionis laboratorem, vel cottimarium, tunc Potestas, vel ejus Vicarius teneatur et debeat ad petitionem supradictorum, vel alterius eorum mittere pro decem Vicinis proximioribus possessioni illati damni et eis dare juramentum de veritate dicenda, et si damnum reperiatur, tunc Potestas vel Vicarius puniat repertum culpabilem secundum formam Statutorum predictorum et damnum emendari faciat damnum passo, et si reperiri non poterit tunc predicti vicini emendare teneantur, et cogantur ad satisfaciendum estimationem factam per estimatores Comunis, et nihilominus solvant, et solvere debeant Vicario pro eorum examinationibus denarios duodecim pro quolibet.

De exparantibus, et devastantibus Vadum alicujus Vinee. Rub.a 44.

Item statuimus, et ordinamus quod si quis devastaverit vel exparaverit aliquod varcum, seu introitum, vel apertum, et exclusum relaxaverit alicujus vinee, horti, clausure, vel alterius possessionis arborate, vel bladate, solvat vice qualibet pro quolibet Varco solidis 10. denariorum, et quilibet possit de predictis accusare, et credatur juramento talis accusatoris.

Quod liceat unicuique ire ad suam possessionem per locum minus dannosum. Rub.ª 45.

Item statuimus et ordinamus, quod unicuique liceat ire ad possessionem suam viam non habentem per Vineam, seu possessionem sui Vicini, et redire personaliter, et cum Bestiis necessariis: videlicet per locum minus dannosum dicto suo Vicino sine pena et banno Statuto, et legibus aliquibus non obstantibus, et quod dictus locus fuerit minus dannosus cre-datur Sacramento euntis, et redeuntis cum uno teste. Et si dictus talis viam non habens ad evitandum scandala et errorem velit a dicto Vicino vel Vicinis emere per locum minus dannosum viam liberam per terram sui Vicini, idem vicinus teneatur vendere pretio declarando per duos homines eligendos ad hoc ab utraque parte, et plus petere non possit, et Potestas faciat predicta observari facere sub vinculo sui Juramenti.

Quod ubi devastata fuerit Via possit iri per possessionem impune. Rub.ª 46

Item statuimus, et ordinamus quod si via fuerit devastata ita quod ipsam iri non possit liceat unicuique personaliter, et cum Bestiis per possessiones stantes juxta dictam viam ire, vi-delicet per dictas possessiones, et margines ipsarum juxta ipsam viam sine pena, et banno pro una vice tantum, et si pluries voluerit aliquis transire, debeat dictus transire volens, dictam viam notificare Vialibus, vel Vicario, aut parti in presentia unius testis ad minus quod aptetur; et si a dicta notificatio-ne in posterum non aptabitur dicta via per quatuor dies post dictam notificationem possit libere iri per dictam pos-sessionem impune, donec fuerit aptata, et Dnus possessionis non possit post dictum terminum euntes accusare, et si ac-cusaverit non valeat ipso jure; Et quod dicta via, ita deva-stata sit quod inde comode iri non possit, stetur declaratio-

ni Vialium dicti Comunis: videlicet illorum Vialium, et illius
portæ, cujus fuerit dicta via.

Index Rubricarum quae hoc in Volumine Statuti Monton continentur.

Liber Primus

Liber Secundus.


Liber Tertius.

Liber Quartus

Liber Quintus.

Hoc Librorum quinque Statutorum Exemplar Originali est plene conforme. —

Montoni ex Aedibus Municipalibus die 30. Decembris 1856. —



Ignatius Fontebrani Prior Mun.lis

R. ARCHIVIO di STATO di ROMA
BIBLIOTECA

224

252
28/20/